nihil reliquum eſse niſi ut in contemptu, atque caligine, ab omnibus neglecti, abiectique vivamus. Hic totum eſt Politiæ hujus ſæculi fundamentum. Sed Franciſcus de Paula gratia ductus longe aliter ſentit: credidit ſe hos laqueos evitare non poſse niſi omnino Mundum relinqueret, ut in remotiſſimo eremo ſe ſe penitus Deo devoveret. *Idem.*

S. Franciſcus Paulanus in ſolitudine conceſſit, ut ſe totum traderet Deo.

Ut Deum ex toto ſe ipſo diligeret, utque primas cordis ſui affectiones illi dicaret, S. Franciſcus Paulanus ab omni hominum conſuetudine ſeceſſit in deſertum, uti in Officio illius teſtatur Eccleſia; *Divino ardore ſuccenſus, in eremum ſeceſſit.* Ibi annum agens decimum tertium, novus hic miles tyrocinium poſuit, duce Spiritu Sancto, qui caritas ipſa eſt, & qui illum in hanc adduxit ſolitudinem, ut olim Salvatorem, vel potius qui illum eo pertraxit, ibique retinuit annos quinque, vel ſex; ubi unicum illius negotium eſt Oratio, quæ ſemper accendit, & alit ferventem hanc Caritatem, ut inter puri amoris Dei flammas perfectum efficiat cordis illius holocauſtum. Prodigii loco habetur, quod in hoc deſerto vivere potuerit omnibus, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, ſubſidiis deſtitutus, nihilque aliud affirmare poſſumus, niſi Providentiam, quæ abjectiſſimorum etiam inſectorum neceſſitatibus proſpicit, ignotas nobis habere vias pro illis, qui propter amorem ejus rebus omnibus abrenuntiant. Magis adhuc mirandum eſt, quod ſe ipſum contra dæmonis tentationes tutatus fuerit, omneſque illius laqueos, ac dolos eluſerit; niſi velimus aſſerere caritatis Spiritum, quo in Eremum ductus fuit, peculiari gratia illum in tutelam ſuam recepiſſe. Admirabilis effectus Caritatis, quæ regit, ac ducit eos quos animat, & erudit quos vocat! Videre adoleſcentulum ſine ſtudiis, ſine litteris, ſine duce, ſine magiſtro, ſine ope, ſine conſilio annos integros in cæleſtium rerum contemplatione traducere, omneſque ſuperare dolos principis tenebrarum, qui toties induit formam Angeli lucis, & illuminatiſſimum quemlibet etiam, ſi poſſit de gradu dejiciat. Verum eſt ne ipſa quidem litterarum rudimenta illi eſſe perſpecta; ſed conſummatus eſt in eminenti caritatis ſcientia, quemadmodum illam S. Paulus appellat; quicumque enim ſcit amare Deum, nulla indiget ſcientia; ad quid enim omnes proſunt ſcientiæ, ac ſublimiſſimæ cognitiones, niſi aliquid conferunt, ut amore illius inflammemur? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti.

In receſſu tantum, & ſolitudine quæritur, & invenitur Deus, cum vere amatur. Ibi eruditur anima de rerum mundanarum vanitate, deque ſalutis negotio; ibi alitur ignis divinæ hujus Caritatis, quæ in mundo, ut ita dicam, evaneſcit, ubi omnia ad illam extinguendam, ſuffocandamque concurrunt; voluptates, negotia, ſocietates. Idcirco Spiritus Sanctus, qui eſſentialis eſt Caritas, integram adire vult cordis alicujus poſſeſſionem, illud adducit in ſolitudinem, vel ſaltem immittit illi ſolitudinis amorem, perfectamque rerum omnium hujus mundi abrenuntiationem. Hoc ille ſecutus eſt conſilium cum S. Franciſco, qui hac ope adeo illuminatus fuit in Scientia Sanctorum, ut ſine ſtudio mirum in modum omnia de rebus omnibus loqueretur, cum erudítiſſimis Doctoribus diſputaret, eoſque confunderet; impeditiſſimos Theologicarum quæſtionum nexus penetraret, prædicaret, & converteret peccatores, quoniam loquebatur ex cordis Caritate repleti abundantia; ipſas etiam conſcientias intus perſpectas haberet; præterita, & futura nullo ipſi eſſent in diſcrimine propter juge Prophetiæ donum; & cor illius luminibus omnibus abundaret. *Idem.*

Occupatio S. Franciſci in ſolitudine quo conceſſit.

In Eremo S. Franciſcus Paulanus Spiritum ſuum excolit, ſimulque cor ſuum accendit; alterum attollit aſpectu rerum creatarum, quæ illi ob oculos exhibent Creatoris beneficia, cum alterum ſe ſe in gratiarum actiones, & ardentia eidem deſerviendi vota, nec non ſuſpiria effundit, quæ inceſſanter in Cælum ejaculatur. Studium ejus eſt divinorum operum contemplatio, & fructus, quem inde percipit, eſt inflammari Caritate Auctoris, quæ illa ex nihilo eduxit. Arbores, nemora, agri ſolitudinis ſuæ, feræ, in quarum ſocietate verſatur, & potiſſimum mare, ſecus quod ſita eſt rupes, quam ſibi in manſionem delegit, totidem ſunt aperti libri, ubi non ſecus ac Antonius alter legit, & diſcit perfectiones ſupremi univerſorum Domini; & mox metitur progreſſus, quos in hac ſcientia fecit ex ardore, quem illa in ſuo corde excitavit. Omne vitæ ſpatium tranſegiſſet ille in occupatione hac, quæ Angeli potius, quam hominis eſt propria, ſi Deus, qui ipſum in ſublimi hac Caritatis ſcientia erudierat, non judicaſſet illum ſatis eruditum, ut alios edoceret, & ubique divinum hunc ignem accenderet.

Sanctus hic contemnit ſcientiam quæ inflat, & ei ſtudet quæ ædificat.

Providentia quæ ſuper electos omnes invigilat, arcuit S. Franciſcum Paulanum a Gymnaſiis, quæ illo confuſionis, turbarumque ſæculo deſerta erant, vel invia, ut erudiretur ea ſcientia, non quæ inflat, ſed ædificat. In Chriſtianarum virtutum exercitationem impendit tempus illud quod ſæpe ſterilibus, ac infrugiferis ſtudiis tribuitur, quæ efficiunt, ut tenella ratio gemat ſub pondere ſexcentarum quæſtionum difficilium, & ſpinoſarum, quæ cum non referantur ad Deum, non niſi veritatem cum mendacio confundunt. Adductus fuit ad Montem Caſſinum, ut ibi veneraretur perfectiſſima, quæ ab Eccleſia colantur, vitæ humilis, & in Deo abſconditæ exemplaria. Illic cum timore legens Evangelicorum illorum hominum veſtigia, ſpiritus eorum reliquias collegit; in illo Cœnobio conſtituit omnino, ſe velle mori Mundo, ſemet cum Jeſu Chriſto conſepelire, ſeque perficere in profunda hac humilitate, cujus tanta nobis reliquit exempla. In remota ea ſolitudine, ubi ſex annos integros vitam duxit Evangelicam, jecit fundamenta Magni Ordinis, qui eo firmior ac ſtabilior eſt, quo magis Inſtitutoris, filiorumque ejus innititur humilitati. *Specimen Panegyricorum.*

S. Franciſcus Paulanus in ſe rigoroſâ pœnitentiam cum perfecta innocentia conjunxit.

Sancti, qui præ ceteris fuerunt humiles, fuerunt quoque maxime auſteri; ſeu quod cum plus luminis haberent, ut ſuas cognoſcerent noxas, habebant etiam plus ferroris, ut eas punirent; ſeu quod ultionem de corporibus ſuis ſumentes gravioribus auſteritatibus fovebant, & ſenſim augebant odium & dolorem, quem in corde ipſorum imprimebat humilitas. Hoc certe S. Franciſcum de Paula impulit, ut eligeret vitæ genus ſenſibus quidem adeo auſterum, ſpiritui vero adeo jucundum, conjungens ſimul quidquid auſteriſſimi pœnitentes exercuerunt naturæ magis oppoſitum cum puritate, quam perfectiſſima innocentia per gratiam poteſt adquirere. Animadvertitur, cum a puero Deo ſervire cœperit, quandoquidem in eremum ſeceſſit cum annum ageret decimum tertium, illi perfectam ſervaſſe fidelitatem ad extremum uſque ſpiritum, ita ut dici queat, quemadmodum humilitas ſua illum puriſſimum, & ſæculi ejus innocentiſſimum fecit, feciſſe etiam auſteriſſimum pœnitentem; quia jejunia & corporis caſtigationes cum deliciis ſpiritus ita miſcuit, ut difficile ſit dijudicare, utrum in Sancto hoc admirabilius fuerit, num octoginta annorum pœnitentia, an nonaginta annorum innocentia, ab omni vitiorum, atque imperfectionum labe vacua. *P. Novet.*

Auſtera S. Franciſci Paulani pœnitentia.

Præclarum proculdubio ſpectaculum erat intueri S. Franciſcum de Paula in eremo exercentem in corpus ſuum innocuum omnem auſteritatem, qua pœnitentia torquere poteſt noxia membra, & polluta iis deliciis, quæ Chriſtiana profeſſione indignæ ſunt, & quibus ille numquam illectus fuit; videre illum in ſpecu latentem, cujus anguſtiæ efficiebant, ut parum a ſepulcro differret, non alia indutum veſte, quam pannoſa: non alio utentem ſtrato, quam rupe; non eſca alia veſcentem, quam herbis, quas tellus inculta ferebat, ac radicibus, quas e proximo ſaltu petebat; neque alium potum habentem, quam aquam ex ſatis remoto rivulo hauriendam. Aſperum geſtabat cilicium, quod fune qua pro zona erat, arctius innocua carni adſtringebat; ſe ipſum tanquam nihilum reſpiciebat apud Deum, & altiſſimis humiliationibus ſuis jugem divinæ Majeſtati honorem deferebat. Aſceticorum librorum lectio, oratio, contemplatio aſſidua illius occupatio fuerunt. Illud vero, quod admirabilius eſt, quod in ipſas etiam Regum aulas intulit pœnitentiam, eamque nullam virium ſuarum jacturam feciſſe in illius elementi contagione, ubi Sancti nonniſi inviti vivunt, gravate, & ægre verſantur, & nonniſi miraculoſe ſuam ſanctitatem tuentur. Toto vitæ ſuæ ſpatio ſemper vino abſtinuit, numquam carnes comedit, nonniſi ſuper rupem, aut humi cubavit, numquam abjecit cilicium carni penitus inhærens, nihil de ſuis vigiliis remiſit, ſomno ſubducens horas ut totus orationi vacaret. Ejus jejunia fuerunt aſſidua, eaque nonnumquam ad integrum quatriduum produxit; quin ullum caperet cibum, & nonnumquam etiam ad dies quadraginta carnis per flagella macerationes frequentes erant, & lacrimæ perennes, & dicere poſſumus vitam ejus fuiſſe perenne Martyrium. *Ex variis Auctoribus.*

Ejuſdem argumenti.

S. Franciſcus de Paula in innocens corpus ſuum omnes auſteriſſimæ pœnitentiæ rigores exercuit, non ut de ſceleribus ſuis pœnas ſumeret, quod non pauci Sancti effecerunt; pro certo enim habetur, illum nulla mortalis peccati labe corruptum fuiſſe, ſed ob ſolam cupiditatem teſtandi amorem ſuum Deo, ſeſe præbendo ſimilem Salvatori crucifixo. Inſignia mortificationis genera exercui; Jejunium, quod Sanctus quidam Pater pœnitentiæ ſignum appellat, illud fuit, quo Sanctus noſter corpori ſuo bellum indicere cœpit. Sciebat carnem dominari ſpiritui per epulas delicatas; ideoque vivebat tantum radicibus, ſylveſtribuſque fructibus ſatis longo temporis intervallo, & eſca, qua deinde uſque ad vitæ exitum uſus eſt, fuit parum panis, & aquæ, cui in infirmitatibus aliquot herbas addebat. Abſtinentia ejus prodigii loco habita eſt, cum aliquando octo, aliquando quadraginta integros dies traduceret, quin re aliqua veſceretur. Non aliud illi ſuppetebat cubile, quam humus, vel in frigidiſſima anni tempeſtate tabula; & nonniſi abſoluta neceſſitas efficere poterat, ut ſomnum caperet ſexcentis in cælum ſuſpiriis emiſſis interruptum. Semper nudis incedebat pedibus, ſoloce indutus, & cilicio, quod numquam reliquit, niſi ut corpus ſuum caſtigaret & in illud læviret cruentis flagellis, vel aliis ſanctæ crudelitatis inſtrumentis, quæ ingenioſa caritas excogitabat, ut illum hoſtiam viventem faceret Deo, uti Apoſtolus inquit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Rigida S. Franciſci abſtinentia & vita quadrageſimalis, cui ſe ipſum ſuoſque filios adſtrinxit.

De Sancti Franciſci Paulani mortificatione verba faciens, ſilentio præterire nequeo perennem hunc abſtinentiam, æternam quadrageſimam, quæ proprius eſt ſacrificii ejuſdem character, & quam ille in deſerto incepit, ut in omnem vitam produceret. Verum quidem eſt jejunium virtutem eſſe obſcuram, ac ſine nomine, verum etiam ſummæ difficultatis in praxi eſt, ut ſacrificii nomen poſſit mereri, atque ut ſatis dignitatis obtineat, inter alios crucis triumphos referendum. Nam præter guſtus mortificationem, cujus voluptates præ aliis maxime legitimæ, & licitæ videntur, quoniam videntur ipſa neceſſitate probari; hæc abſtinentiæ virtus generalis eſt totius corporis pœna, cum interim auſteritates aliæ aliquod dumtaxat corporis membrum afficiant, eorumque tormenta partiantur. Quemadmodum cibus per ſingulas corporis partes di-

ſtri-

ſtribuitur, vitamque per omnia membra fert; ita virtus hæc auſtera, quæ ſubtrahit alimenta, quocumque quamdam mortis ſpeciem immittit. Hæc lenta crux eſt, quæ paullatim occidit, & quæ proinde omnes immolat cupiditates, & prohibet, ne adeo ſint acres, & vividæ. Hæc tamen peculiaris crux eſt, quam ille ſuis filiis impoſuit, quartum eos votum elicere jubens, illos videlicet nonniſi piſcibus, vel leguminibus victuros, & omnino a carnium, lactiſque uſu temperaturos. Quæ cauſsa fuit, propter quam Summi Pontifices hoc inſtitutum probantes, illum ceterorum auſteriſſimum prædicarunt, propter abſtinentiam hanc, quam ex voto ſervant, & propter æternam hanc quadrageſimam, quæ vitam eorum in crucem, leniorem quidem, ſed ceteris acerbiorem invertit. *Bireat.*

De S. Franciſci Paulani humilitate, & quid de ſe ipſe ſentiret?

Quis non admirabitur amabilem hanc ſimplicitatem, & profundam S. Franciſci Paulani humilitatem! Supernaturalibus operibus ſuis præter opinionem adeo univerſalem ſibi æſtimationem comparaverat, ut terræ Principes ſecum certare viderentur, quiſnam illum poſſideret. Quod vero ipſam ſuperat cogitationem, hoc eſt, quod Sanctus hic Patriarcha cum tantus eſset in hominum opinione, atque æſtimatione eorum digniſſimus, pro certo habebat ſe mortalium omnium abjectiſſimum; & maxime contemptibilem eſse, gaudebatque hoc nomine appellari, & nominis officio fungi, pro tali ab omnibus exiſtimari, & ſenſus fovere, & deterioribus veſtibus uti. Oblectabatur ille vocari parvulus, quippe eximium putavit favorem ſe conſecutum, cum a Summo Pontifice Minimi nomen impetravit. Libenter nominis officio fungebatur; nam licet Ordinis ſui Generalis eſſet, inter artifices operi manuum vacabat. Gaudebat pannoſis uti indumentis, quia ſibi deterrimam veſtem diligebat. Geſtiebat peſsime tractari; etenim herbis, & radicibus tantum veſcebatur: Humillime de ſe ipſo ſentiebat, horrebat quippe laudes, & omnia honoris argumenta ipſi erant non ferenda. Hic tamen Sanctus vir, incomparabilis hic Thaumaturgus, hic dilectus Deo, & hominibus ſe ipſum pati non poteſt; tantum illum pudet noxarum ſuarum, ut miretur, ſe a tellure ſuſtineri, nihil ſui cognitio tantum eum penetrat, ut non audeat ad aras accedere ſe indignum exiſtimans Sacerdotio, quia ſe peccatorum omnium nequiſſimum putat. Poteſtne Caritas ad ſublimiorem gradum attolli? Poteſtne humilitas ad inferiorem gradum dimitti? *P. Novet.*

Quo humilitatis ſenſu S. Franciſcus oblatos a Summo Pontifice ſacros ordines recuſaverit?

Quiſnam potiori jure ad Filii Dei Sacerdotium admittendus erat, quam S. Franciſcus Paulanus, qui vita, moribuſque ſuis ſe ſe illi adeo conformem præbuerat? Num deerat ipſi neceſſaria qualitas aliqua, ut quis ſacris initietur myſteriis, ac inter Altaris miniſtros recenſeatur? Habebat ille eam fidem, de qua loquitur Salvator, montibus transferendis parem. Ardebat igne potentis illius Caritatis, quæ cor hominis a mundo divellit, & ab iis omnibus, quæ mundi ſunt; & quæ efficit, ut ſolus ametur Deus, & non niſi propter Deum creatura aliqua diligatur. Si pauperem eſſe oportet ut imitemur Summum illum Pontificem, qui ſe ſe rebus omnibus exuit in Euchariſtiæ Sacramento; Franciſco non niſi radices erant, quibus veſceretur, & cilicium quo indueretur. Si oportet purum eſſe ſpiritu, & corpore, ut quis offerat Agnum hunc ſine macula; ſolitudo, quo a puero conceſſerat, poterat, de illius integritate, atque innocentia reſpondere. Si integritate ſumma præditus ſit oportet, qui Deum ſibi in partem elegit; Franciſcus non utebatur ea auctoritate, qua in ſpiritu Principum pollebat, eorum munera, ac largitates non excepit; Religioni ſuæ nequaquam ea omnia, quæ poterat, commoda procuravit. Longe abſuit a zelo ardenti, ac nimis ſollicito, qui nimis crebro videtur in ipſis domibus, quæ optime gubernantur, nec non in Ordinibus Religioſis, qui præ ceteris reformationem ſapiunt, ubi privati vel ſæculari deſiderio, quo videri volunt induſtrii, vel vanitate, qua ſe fratribus ſuis utiles vel neceſſario præbere geſtiunt, conantur communitatem amplificare, & omnia ad illius utilitatem referre propriæ virtutis ſumptibus, & ſæpe etiam propriæ indulgent cupiditati ſpeciem communis commoditatis prætexentes. Quid in illo erat deſiderandum? Num pœnitentia? A diebus S. Joannis Baptiſtæ numquam viſa fuit auſteritas magis admirabilis. Num Scientia? in Oratione, ac ſolitudine didicerat plura, ac ſubliniora iis, quæ per humanas litteras addiſcuntur. Denique quis unquam aptior fuit ſacrificando Corpori, & Sanguini Salvatoris, qui eidem omnia vitæ ſuæ momenta ſacrificaverat? Attamen vir iſte adeo Sanctus, cui Jeſus Chriſtus per os Vicarii ſui præbebat certiſſima vocationis indicia, ſe omnino tanto hoc, ſed terribili miniſterio indignum exiſtimat. Quid hoc exemplum intuiti judicare poſſunt, qui omnes fidei ac pietatis ſenſus jugulantes Jeſu Chriſti ſacerdotium invadunt non vocati, ac temere ſebeunt ſarcinam, qua premuntur, & opprimuntur? Quid illi ſentient, qui ſe in Eccleſiam intrudunt, quin antea ſincera pœnitentia præterita peccata expiaverint, & qui poſtquam in Mundo profanam vitam duxerunt, ad pedes Altarium ſe conferunt vitam ducturi ſacrilegam? Quid dicent qui Sacerdotium intuentur tamquam aditum ad Eccleſiaſticas dignitates, qui ſæpe tamquam ambitionis ſuæ inſtrumentis abutuntur Sanctiſſimis Religionis Myſteriis, ipſoque Salvatoris ſacrificio? Qui Sacerdotium artem putant, qua ſibi victum comparent, non autem ſtatum, qui eos, & eorum opera alios etiam debet ſanctificare. Calamitoſi id genus mortales admirentur, atque imitentur Franciſci humilitatem, & coram Deo impotentiam, atque ſuperbiam ſuam lacrimis proſequantur. *Flechier.*

Ejuſdem argumenti.

S. Franciſci de Paula virtus maxime cara humilitas fuit. Hanc ille reliquis omnibus prætulit, & cum etiam hæc cum caritate certaret, minime dubitavit, quin hanc priori poſthaberet; neque teſtatus eſt unquam majorem erga Deum caritatem, quam cum de ſe ipſo humillime ſentiens ſe indignum cenſuit, qui propius ad ipſum accederet. Hoc autem innotuit, dum Summus Pontifex virtutum Sancti hujus viri magnitudinem admiratus, non ſecus ac miracula, quorum fama per Italiam longe lateque percrebuerat, voluit illi ſacros Ordines conferre, ut majorem zelo, & caritati ipſius tribueret auctoritatem: Sed Sacerdotii miniſterium, pro quo altiſſima etiam Seraphim ſatis ardentem caritatem non haberent, adeo terribile illi viſum eſt, ut ſe ad Sanctiſſimi Patris pedes abjecerit oraturus, ne ulterius progrederetur, mallens imitari humiliationes Dei, qui in terras deſcendit humiliatus, atque exinanitus, quam eo inſigniri charactere, qui ipſum attolleret, Deoque propiorem faceret. Caritas nil aptius excogitare poterat ut Deo illum arctius conjungeret, ſed de hujus dignitatis celſitudine cogitantem humilitas illum adducit in imitationem Principis Apoſtolorum, qui Salvatorem obteſtatus fuerat, ut recederet a ſe, quia erat peccator: *Exi a me, quia homo peccator ſum.* Timet ſe ea auctum poteſtate intueri, cui ſe ipſum Deus ſubmittere voluit, & credit ſe gloriæ illius magis conſulere, ſe ipſum profundo nihili ſui ſenſu immolando, quam quotidie ob ſuam caritatem explendam, Deum ſuum inter manus ſuas ſacrificando. Ipſum Eccleſiæ caput videt nullam illi deeſſe qualitatem, quæ optari poſſit in homine ad myſterium adeo ſublime; ſed ſatis eſt, miniſterium hoc eſſe adeo ſublime, ut Sanctus hic vir ſe eodem indigniſſimum cenſeat. Numquid videtur vobis ipſe magis humilitatem ſuam exercere potuiſſe! *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

S. Franciſci Paulani humilitas in ſui Ordinis inſtitutione palam enituit.

Quodnam fundamentum Sanctus hic Patriarcha ſubſternere voluit Inſtituto ſuo, cujus principia adeo ſancta ſunt, exempla adeo ædificantia, fines adeo Evangelici, niſi humilitatem? Cum nomina rerum eſſentiam complectantur, & Ordines ſint opus manuum ſuorum Inſtitutorum; virtutum eorumdem ſimilitudines, & character ſpiritus illorum: voluit, ut Diſcipulorum ſuorum nomen præcipuum, ipſorum munus, potiſſimamque virtutem referret. Cum vanitas fulgidiores requirat titulos, ut præ ceteris niteat familia; humilitas titulum omnium minimum illi propoſuit ad familiam ſuam ab aliis ſecernendam. Voluit hanc eſſe cuſtodem aliarum virtutum filiorum ſuorum & eſſentialem Religionis ſuæ qualitatem. Dicebat olim Gedeon: *Ecce familia infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.* Ita Franciſcus loquebatur. Ordo meus eſſe debet omnium Eccleſiæ Ordinum humilimus, me autem oportet humillimum eſſe in Ordine meo. Hic ille ordo eſt, qui licet ſummo habeatur in pretio, ſemper tamen Inſtitutoris ſui humilitatem conſervans, palam ſæculi vanitatem confundit, non aliud quærentis quam gloriam; hic ordo, qui licet tot illuſtres ediderit viros ſpatio annorum ducentorum, & ultra, quin unquam reformatione indiguerit, integritatem ſuam ſartam tectam ſervaſſe videtur humilitatem, virtutem hanc Inſtitutori ſuo adeo dilectam. *Flechier.*

Omnino contendit ne fieret Ordinis ſui Generalis.

Nihil eſt quod S. Franciſcus Paulanus intentatum reliquerit ad evitandum honorem, quo eligebatur Generalis Ordinis illius, cujus Pater erat, atque Inſtitutor. Credit illum a ſe ideo inſtitutum fuiſſe dumtaxat, ut ſibi eſſet obediendum, non autem ut ſibi ſubditi eſſent, quibus præeſset. Denique coactus hunc honoris gradum ſubire, precibus atque ſuffragiis fratrum ſuorum, ad eorum pedes provulutus, ſuum locum accipit, & ampliſsimus honor ad quem aſpirat, eſt, illis menſæ accumbentibus miniſtrare. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Servat humilitatem inter honores, qui ipſi deferuntur.

Humilitas fidelis hujus Sancti viri ſocia, nequaquam hunc deſerit inter honores, qui certatim ipſi deferuntur. Non fuit unquam in illo magis admirabilis hæc virtus, quam cum illa veluti extra centrum ſuum verſabatur; & Dei Providentia cum de latenti caligine eduxit, ut in fulgidiſſimam mundi partem, hoc eſt, in Principum aulas proferret. Cum illum ad ſupremi Pontificis latus ejus conſilia, tamquam Oracula excipientis intueor; cum video unum ex maximis terrarum Regibus ad pedes illius procumbentem humili voce opem illius implorantem, eumque tamquam vitæ mortiſque ſuæ arbitrum in honore habentem; cum populos cerno, una cum optimatibus certatim ad eum confluentes, ut fiant benedictionum, & precum ejus participes; jure cenſeo delicatum eſse hujus tentationis genus, & magnam, & raram virtutem eſse humilitatem, quæ in honore habetur. Seſe intra æquiſſimæ moderationis terminos continere, arduum non eſt, ubi ad obſcuræ vitæ tenebras redactus es; Facile ſuperbiæ reſiſtimus, quum non ſatis ampla exiſtimatione, vel merito inſigni fulcimur. Pudet nobiſmetipſis habere fidem, quantumvis optime de nobiſmetipſis ſentiamus, cum ſoli ſumus, qui noſmetipſos plurimis faciamus, & cum non alium factorum noſtrorum probatorem, vel aſsentatorem, quam noſmetipſos habemus; ſed cum noſmet honoribus auctos in mundo eniteſcere concipimus; cum aliorum laudes & plauſus non vulgari virtute nobiſmet promeremur; quam periculoſum eſt, ne in aliorum ſententiam abeamus, ne noſmet ipſos admiremus, laudibuſque celebremus, & aliquid noſtri alieno thuri, quod nobis adoletur, commiſceamus? S. Franciſcus Paulanus hoc periculum evitavit. Se ipſum ſecundum conſcientiam ſuam judicavit, non autem ſecundum aliorum æſtimationem; neque oblitus

eſt,

BIBLIOTECA CENTRAL

eſt, quinam coram Deo eſset, quantumlibet glorioſus eſset coram hominibus. Hac de cauſa Deus, qui ſuperbis reſiſtit, ambitionis illorum conatus evertens, neque minus reſiſtit humilibus, efficiendo, ut eorum virtus eniteſcat, & ut magis magiſque agnoſcatur prout illi in caligine, latebriſque verſari conantur; Deus inquam voluit, ut Servi ſui Franciſci nomen, cum adhuc viveret, tranaret maria, & ab omnibus populis cognoſceretur. Statim ac Sanctus hic vir urbem aliquam ingrediebatur, ad eum certatim undique concurſus fiebat, & quocumque in loco ſubſiſteret, ibi de illius virtutibus atque miraculis tantum ſermo habebatur; & ipſi etiam Præſules, principeſque viri ſecum certare videbantur, quinam illum majori honore exciperet. *Flechier, aliique.*

S. Franciſcus de Paula caritatē cum humilitate conjungit.

Vult S. Franciſcus Paulanus altiſſimam perfectiſſimamque caritatem, non ſecus ac profundiſſimam humilitatem eſſe vexillum & characterem Ordinis ſui, cujus Deus illum Inſtitutorem effecerat. Scit ad Caritatem hanc altius extollendam ponenda prius eſſe fundamenta humilitatis ſecundum illud S. Auguſtini effatum, *Fode in eo fundamentum humilitatis, & pervenies ad faſtigium caritatis.* Agnoſcite hoc in loco Sancti hujus Spiritum, qui ſatis cognoſcit quod vinculum intercedere debet inter humilitatem, & caritatem, ut altera numquam ſeparetur ab altera. Ut igitur illas arcte in Ordine ſuo æque ac in perſona conjungeret, alterius nomen aſſumit, alterius vero ſtemma, & inſigna attollit. Orientem Ordinem ſuum Minimum vocat, vult enim ut quantum caritas eum ſupra ceteros poteſt attollere, humilians illum oculis ſuis omnium minimum oſtendat. Neque putetis laudum illius mutari argumentum, ubi ab una ad alteram virtutem fit gradus; quippe de magnitudine, & ſublimitate caritatis ejus ferendum eſt judicium ex profunditate humilitatis ejuſdem, & una eademque eſſe debet utriuſque menſura. Altera quidem illum ad Ordinem ſuum inſtituendum impulit; ſed ab altera nomen voluit mutuari, ut hæc præclariſſimarum Chriſtianiſmi Virtutum ſocietas abſolutiſſimum illius characterem conſtitueret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Ordinem ſuum in caritate æque ac in humilitate conſtituit.

Cum Deus Sanctum hunc Virum conſtituiſſet Ordinis caput, qui ſub Caritatis vexillo decertaturus erat, quemadmodum jam ſuper humilitatis profunditatem erat fundatus, illum quamprimum coegit ſolitudinis delicias relinquere, ut mundum eodem igne inflammaret, quo ipſe æſtuabat. Incepit ille cum duodecim ſociis, qui ſeſe illius regimini ſubjecerant; eoſque ſub hoc eodem vexillo, tamquam duodecim Caritatis Apoſtolos ordinavit, & ita prima jecit Ordinis ſui fundamenta: qui non ſolum divina inſpiratione, ut reliqui conſtitutus fuit, ſed qui eumdem habuit Deum Inſtitutorem modo prorſus peculiari; etenim dum primum illius Inſtitutionis agitaretur conſilium, Deus miſit ad Franciſcum vexillum, de quo loquimur, cui inſcriptum erat hoc nomen *Caritas* radiantibus litteris, cum interim vox de cælo lapſa hæc protulit verba: *Hæc erunt inſignia Ordinis tui.* Hoc vexillum eſt, ſub quo Ordo hic dimicaturus eſt: Nequaquam a vetuſtate originis ſuam hauriet nobilitatem, ſed ab ejus ſanctitate, quæ eadem eſt caritas. Hæc anima eſt, quæ magnum corpus hoc animare; hic ſpiritus eſt, qui illum regere; hoc vexillum, ſub quo in aciem prodire debet, ita ut ſicuti Deus ponere voluit Caritatem Evangelii ſui compendium: Franciſcus omnes Regulas, & Ordinis ſui Statuta in hac ipſa caritate concludere voluit, quæ etiam præſtantiſſima Chriſtianæ Religionis inſtituta complectitur. Sed attentius conſideranti illuſtre vexillum hoc in manibus Sancti hujus Fundatoris, facile eſt videre, illud eoſdem fere habuiſſe ſucceſſus quos Domitorum Orbis vexilla habuere. Hoc enim effecit, ut ille victoriam referret de iis omnibus, quos bello laceſſivit; ut omnipotens eſſet per ea prodigia quæ operatus eſt in natura, quæ illi ſubjecta videbatur, ut denique in terra, & in cælo eſſet glorioſus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

S. Franciſcus de Paula caritatē erga omnes exercuit.

Cor Sancti Franciſci de Paula ita repletum erat caritate, ut virtutem, & Caritatem inſpiraret accedentibus ad ipſum, quemadmodum ex Bulla Canonizationis illius innoteſcit: *Nullus ad eum acceſſit, qui quaſi divino ſpiritu plenus ab eo non receſſerit.* Hic illum video cum zelo prædicantem, erudientem populos, & convertentem peccatores, illic pauperibus inſervientem, afflictos conſolantem, miſeris omnibus opem ferentem. Hic eum conſidero urbes pertranſeuntem, & quocumque cæleſtes benedictiones ferentem, quod de Filio Dei dicebatur: *Pertranſiit* benefaciendo, & ſanando omnes; illic eum aſpicio caritate flagrantem, ubique devotionis ignem accendentem. Quicumque vident illum, exemplis ejus moventur, atque ſermonibus; qui de illo verba facere audiunt, undique confluunt ſpectaturi miracula, quæ fama prædicantur; & urbes omnes, per quas tranſit, vel ubi immoratur, omnes eiſdem victas dant manus. Simulac vexillum caritatis expandit, inde refert victoriam fere ſine prælio, ac renitentia. Præterea caritatem ſuam ad omne perſonarum genus extendit: nam præterquam quod cum adhuc viveret vidit Ordinem ſuum in omnia Europæ regna fuſius extendi, alium inſtituit Monialium, quæ eamdem amplectuntur auſteritatem, & ſub eodem vexillo Mundo bellum infligunt. Alium etiam utriuſque ſexus inſtituit, qui in mundo vivunt, alii quidem in communi, alii vero privatim, & qui præſcriptam ſibi ab illo regulam ſequuntur; & alii denique in conjugio, & inter rei familiaris curas, qui ſanctam, & ſtatui ſuo conformem vitam ducunt. Itaque nemo ex illius elabitur manu; ſeſe omnibus diverſis profeſſionibus accommodat; & caritas ejus fit omnibus omnia, ut omnia eodem igne inflammentur. *Auctor in omnia argumenta &c.*

Lumina quæ ille afferebat maximis fidei noſtræ myſteriis ſine alio ſtudio, & eloquentia, præter eam, quam Spiritus Sanctus illi inſpirabat.

Cur mihi non licet hoc in loco vobis ob oculos ponere hominem ſimplicem, ac ſine litteris ea ſola præditum auctoritate, quam illi præbebat virtus, & eloquentia cælitus inſpirata patheticis, & ad perſuadendum aptiſſimis ſermonibus, Provinciæ totius mores immutantem, quos Principum libido, ac præteritorum bellorum licentia perverterant? Cur nequeo illum vobis exhibere in celeberrimorum Doctorum cœtu altiſſima Theologiæ myſteria explicantem, atque quantum hæc lumina, & cognitiones, quas ab humili, ferventique oratione deprompſit, ſuperent illas, quæ labore, atque vi ingenii adquiruntur? Si hæc mihi vobis repræſentare liceret diſcipulis exponentem ſenſum ſpiritus & cordis ſui ſuper regulas Inſtituti ſui, & confirmantem exemplo quod olim vetus quidam Eccleſiæ Pater dicebat; digne verba facere de placitis Evangelicis ad eos tantum pertinere, qui diligunt illa, & exercent. Cur mihi non licet deſcribere illum ad ſe populos omnes pertrahentem diſertæ vocis illecebris, & ſuavi odore, quem omnes illius virtutes perflabant omnibus in locis, quo ſe transferebat Evangelicum ſemen allaturus? Sed non immoramur talentis hiſce, licet glorioſis, quibus illum ornaverat Deus ad populorum doctrinam, atque ſubſidium; ſexcenti adhuc nobis ſuppetunt ex vita ejus illuſtres loci, ex quibus liquido innoteſcit, divinam eloquentiam attollentem illum ſuper ea omnia, quæ in terris magna ſunt, viſum eſſe conſtituere hunc Protectorem, & audeo dicere Arbitrum Salutis Regum, atque regnorum. *Flechier.*

S. Franciſci Caritas eum quodammodo fecit omnipotentem.

Quocumque Franciſcus defert caritatis vexillum, victor eſt, ac per illud fit quodammodo omnipotens. Hoc in manu ejus inſtrumentum eſt prodigiorum, ac ſignum ſupremæ poteſtatis, quam cælitus accepit. Et ſane videtur poteſtas hæc non aliis finibus contineri, quam illis ſuæ Caritatis. Ignis coram illo vim ſuam amittit; manibus ardentes accipit prunas ad inflammandam Concionatoris caritatem, qui palam contra ſe declamaverat; hoc ipſum agit coram Summi Pontificis Miniſtro, qui miſſus fuerat, ut diligenti examine ſcrutaretur quo ille ſpiritu agebatur. Aliquando ardentem ingreſſus eſt fornacem, quam ignis violentia circumundique diruperat; ſed Caritas ejus ad prohibendam jacturam, quam hoc incendium accolis omnibus erat allaturum, flammarum ardorem inhibet, donec ille ruinis reparet, interim obambulans ſuper ignem & manibus attrectans ardentes lateres ipſe undique circumfuſus igni eodem fere miraculo, quod olim in Babylonis accidit fornace, quoniam ne fimbria quidem indumenti ejus, neque unus capitis ſui capillus abſumptus fuit. Hæc autem poteſtas non minus in aqua refulſit quam in igne. Quin enim verba faciamus de tempeſtatibus, quarum impetum ſæpius ſedavit, intelligi ne poteſt ſine admiratione ea ratio, qua Meſſanenſe fretum traduxit? Invenit in portu navim jamjam e litore ſolventem: petit, ut caritatis titulo admitteretur, non habens quid pro naulo perſolveret. Navarchi ruſticitas & avaritia hoc illi negat; ſed Franciſci Caritas, quæ illum in Siciliam agebat, diutiores non patitur moras. Quid igitur faciendum? Maris trajectus ultra tres leucas patet; mare, quod ibi in arctum cogitur, ſemper ibi magno agitatur æſtu, ita ut cum etiam tranquilliſſimum videtur, opus ſit omni expertiſſimorum Nautarum peritia, ut ſine ullo periculo ſuperentur illi duo infames ſcopuli, qui utrinque illud coarctant, & ubi tot naves fecere naufragium. Verum aliquid ne in rerum natura eſt, quod invicta Sancti hujus Caritas nequeat ſuperare? Sancta animatus confidentia, quæ ab illo divelli non poteſt, ex pallio ſuo lintrem effingit, illum in aqua ſtatuit, & una cum duobus ſociis in eumdem conſcendit, & quaſi tutiſſimus eſſet, in phaſelo adeo fragili, traducit fretum illud elementi illius furorem ſubigens, & ipſe cum ſociis iter ſuum peragit ſatis longinquum ſuper aquas, ſuper quas Princeps Apoſtolorum licet caritate ſumma flagraret vix tres, aut quatuor greſſus proferre potuit, quin ad preces confugeret, & contremiſceret. Nonne jure hoc in loco de Sancto Franciſco dicere poſſumus, quod de ipſo Salvatore narrat Evangelium: *Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?* (*Matth.* 8.) Hic eſt incomparabilis Franciſcus Paulanus, cujus caritatem omnes maris aquæ, non inhibere, & multo minus extinguere valuerunt: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem.* (*Cant.* 8.) *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Donum miraculorum admirabilem effecit S. Franciſcum Paulanum.

Si S. Franciſcus Paulanus fuit admirabilis ob Prophetiæ donum, adhuc admirabilior fuit propter donum miraculorum. Ipſe fuit unus ex illis extraordinariis hominibus, quos Deus identidem ſuſcitat, ad ciendum bonorum fervorem illorum exemplis, & ad impietatem peccatorum confundendam per ea prodigia, quæ naturæ vires excedunt. Videbatur illi Deus ſuam communicaſſe omnipotentiam; ad nutum ejus elementorum qualitates mutantur: ex rupium ſinu aquæ vivæ fontes manare videntur ad recentis hujus Moyſi imperium: ignis flammas ſuas partitur & immobilis permanet, cum hic Angelus in fornacem deſcendit, montes loco cedunt ob fidei illius magnitudinem, & ad literam adimplent Domini verbum, omniſque natura ſenſu carens animam videtur induere, ut Magni hujus Sancti viri virtutem revereantur. Non ſunt iſta temere prolata ad inanem huic elogio ornatum emendicandum; certiſsimis argumentis innituntur. Viſus eſt ſublatus in aerem præ fervore contemplationum ſuarum, viſæ ſunt

ſub pedibus ejus aquæ concreſcere, ac ſolidari; viſus eſt de ſepulcro evocare homines diverſarum conditionum. *Specimen Orationum Panegyricarum.*

Ejuſdem argumenti cum aliquibus prodigiis peculiaribus.

Quin neceſſe eſt alia referre noſtri Patriarchæ prodigia, vobiſque dicere illum exercuiſſe ſuam poteſtatem in aerem fulmina cohibendo, & avertendo procellas; in terram, imperans, ut redderet mortuos, quos in tumulis ſuis continebat; pendulum in aere immanis magnitudinis lapidem detinuiſſe, qui lapſu ſuo oppreſſurus erat domum, ubi incolebat; ipſum cæcis viſum, ſurdis auditum, deploratiſſimis ægris optimam valetudinem contuliſſe; multiplicaſſe panes &c. Hæc omnia miraculorum nomen amittunt, quia hæc operari paſſim conſueverat, eorumque numerus adeo mirabilis erat, ut poſt quinque vel ſex millia, quæ recenſita ſunt, vitæ illius Scriptores reliqua teneantur omittere, ne vitæ volumen in immenſum augeatur. Dicam ſolum, in ſignum, quod illius Caritati ſupremam hanc poteſtatem conceſſerat Deus, ipſum hæc operantem miracula dicere conſueviſſe: Per caritatem accipe viſum; per caritatem perfectam recipe valetudinem; quaſi caritas eſſet opifex omnium horum miraculorum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Alia narratio miraculorū hujus Sancti cum animadverſione ad pertinaciam aliquorum Spirituum incredulorum.

Viſane fuit unquam vita miraculis uberior, quam illa S. Franciſci de Paula? Viſus eſt ſuper aquas tanquam ſolidum marmor incedere, ac fidenter ſuper pallio ſuo illud fretum trajicere, quod Italiam a Sicilia ſecernit Scyllas inter atque Carybdes innumeris naufragiis infames. Viſus eſt in precum ſuarum ardore in aera attolli; & a terra divelli in corpore terreno, & mortali coram Regibus, atque Reginis, qui tanti ſpectaculi teſtes fuere. Viſus eſt ſæpe de mortis faucibus exſculpere prædam, jamjam fere abreptam. Per vos mihi liceat appellare hos homines difficilis fidei, hos ſpiritus fortes, qui, ut quidam Apoſtolus inquit, *quæcumque ignorant, blaſphemant*, & divinæ potentiæ eoſdem limites conſtituentes, quos Deus illorum tribuit cognitioni, probatiſſima rejicere miracula oblectantur, vel quia honori ſibi vertunt nec falli, nec fallere; vel quia nihil credere volunt, niſi quod ipſi oculis propriis uſurparunt. Fateor equidem adeſſe ſuperſtitioſam quamdam ſimplicitatem, quæ credit omnia, quæ aſſerit omnia, quæ geſtit mendacio formam veritatis tribuere, ubi illi aliquam Religionis ſpeciem prætexere poſſit; nec non popularem credulitatem, quæ falſa admittit miracula, quemadmodum vanum eruditorum acumen, & cæca protervorum hominum ſapientia ea, quæ veriſſima ſunt, fateri, & agnoſcere detrectat. (*Joann.* 14.) Sed habet Deus delectos ſervos ſuos, quibus uberrimus communicat, cum ipſi libitum fuerit, ſapientiam, potentiam, & veritatem ſuam, de quibus dixit, ſi crediderint, opera eadem quæ ipſe faciebat, facturos, immo etiam majora: quod palam innoteſcit ex illis prodigiis, quæ quotidie, & in ſingula fere momenta operabatur Sanctus hic Patriarcha, qui novus Thaumaturgus poterat appellari. *Flechier.*

Altera expoſitio poteſtatis Sancti hujus ſuper univerſam naturam.

Luſtrare ſatis eſt, atque totam ſimul vobis naturæ faciem oſtendere, dictus fuit Deus olim illius dominum, arbitrumque S. Franciſcum de Paula conſtituiſſe. Nunquid veritas hæc eſt confirmanda? Nunquid opus eſt erudire proximum, huic opem ferre, hunc ædificare? Omnia fidei ejus cedunt; caritas illius nullis arctatur finibus. Elementa ut illi obſequantur omnes ſuſdeque leges ſubvertere videntur, & qualitatibus ſuis maxime neceſſariis viduari. Sydera malignos ſuos cohibent influxus; venti flatus ſuos vehementiſſimos jugulant; mare tumentes fluctus ſuos frangit, & ſedatur; terra vim facit anni temporibus, & quovis tempore fit fertilis, & copioſa. Aquæ viventis fontes ex arido erumpunt ſilice ad hujus Moyſi imperium; ignis dividit flammas, & Angelo hoc in fornacem deſcendente eas mulcet. Panditur, vel clauditur cælum; ad novi hujus Eliæ preces ſuos imbres retinet, vel effundit. Quatiuntur Montes, & ſaxa immania ſine fulcro manent ſuſpenſa vi fidei hujus miraculorum opificis. Creata ipſa ſenſu carentia ad mortalis hominis voluntatem gradum ſiſtunt, vel movent, & natura omnis attonita, attenta, obediens, agnoſcit in illo ſui Creatoris poteſtatem, ejuſque ſanctitatem, & innocentiam reveretur. *Idem.*

Mirum non eſt ſi tot hæc miracula Sancto huic conciliaverint Regum, & Pontificum reverentiā.

Poſt omnia prodigia, quæ S. Franciſcus Paulanus operatus eſt, nunquid mirum eſſe debet ſi ab omnibus in honore habitus fuit, ſi amatus fuit a quinque, vel ſex Pontificibus, & a quatuor Regibus, qui illum habuerunt tanquam Patronum, Regnorumque ſuorum Angelum tutelarem? Si Ludovicus Undecimus, poſtquam nihil prætermiſit, ut illum in Galliam adduceret, illum in genua procumbens exceperit, vitamque, Regnique ſui felicitatem in manibus ejuſdem collocaverit? Si Carolus Octavus ſucceſſor illius victorias ſuas acceptas referebat vexillo Caritatis ejuſdem, quod pro illo Franciſcus extulit, abſit verbo invidia, cum aliquando duos ac viginti dies in precibus impendit, brachiis in cælum ſublatis, velut alter Moyſes pro felici armorum ejus eventu; & alias poſt victam Neapolim, cum Princeps hic in patriam revertens vias oſtendit valido omnium Italiæ Principum, qui fœdus adverſus illum percuſſerant exercitu præpeditas, inſtar inſignis miraculi fuit, quod ſibi ille Sancti hujus precibus referendum cenſuit, cum exigua militum manu per conſertiſſimas hoſtium copias ſibi aperuit viam. Poteratne Sanctus hic glorioſior eſſe in Mundo, quam quia hoc pacto ſibi populorum, omniumque terræ Principum æſtimationem, amoremque conciliavit? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti.

Mirum non eſt, S. Franciſcum de Paula univerſum terrarum orbem miraculis ſuis replentem præter opinionem ſibi adeo univerſalem exiſtimationem conſequutum fuiſſe, ut præcipui reges ſimul certarent, quis illum in Regno ſuo poſſeſſurus eſſet. Sedis Apoſtolicæ Legatus nequaquam majori cum honore fuiſſet receptus, quam hic in Neapolitani Regis aula. Sixtus IV. illum excepit Romæ tanquam Angelum cælo demiſſum; eumdem de graviſſimis Religionis negotiis conſultorem adhibuit, & honoris ergo prope ſe juſſit ſedere. Ad Neapolitanum Regem tamquam Propheta locutus eſt, eumque coegit quamplurima facta pœnitentiæ lacrimis eluere. Populi ex urbibus egrediebantur, ut illi occurrerent, & pauciſſimi recedebant, qui miraculi alicujus teſtes non fuiſſent. In Gallia tanquam vir Dei exceptus fuit, Galliæque Delphinus, qui mox fuit Carolus VIII. obviam illi factus eſt, cumque perveniſſet Pleſſiacum, Ludovicus XI. illi cum aulicis occurrit, eumque tanto honore, ac reverentia excepit, quanta ſi Summus idem Pontifex extitiſſet. Rex iſte coram Franciſco procubuit in genua illum obteſtatus, ut ſibi Deus vitæ ſpatium proferre dignaretur; Sancto huic viro ad habitandum condidit conclave quoddam aulæ inferioris Pleſſiaci, ut ſibi fas eſſet ſæpius cum illo verſari, cum quo ſingulis diebus duas, vel tres horas traducebat. Ipſe etiam novus Rex Carol. VIII. magis adhuc peculiari modo, quam pater ſuus, qui nuper ex viventium numero abierat, coluit: Nihil illo inconſulto aggredi voluit in iis, quæ ad ſuam ſpectabant conſcientiam, immo in iis etiam, quæ ad Regni felicitatem pertinebant; adeo Sanctitas ipſi etiam terrarum Principibus eſt veneranda. Effecit Carolus, ut Sanctus hic filium ſuum in Baptiſmo ſuſciperet, eique nomen imponeret. Duo illi poſuit cœnobia in Gallia, & Romæ aliud. Ludovicus autem XII. Caroli Succeſſor majori adhuc quam prædeceſſores ſui Sanctum hunc virum dilectione proſecuti ſunt, & beneficiis Ordinem illius cumularunt. *Exercitia Pietatis P. Croiſet.*

Miraculum peculiare nepotis ſui reſurrectio, qui plures annos vixit, & Sanctum in Galliam comitatus eſt.

Satis nequaquam mihi videtur generatim referre prodigia, quæ S. Franciſcus Paulanus operatus eſt; operæ pretium puto unum inter cetera enarrare, ex quo facile vobis liceat intueri, quam ille apud Deum poteſtatem obtineret. Soror illius affectione quadam non ſatis ordinata deterret unum ex filiis ſuis, ne avunculi ſui Inſtitutum ſequatur; filius hic moritur; corpus humandum defertur in Eccleſiam Sancti hujus viri, qui præcipit ut illud in cubiculum ſuum inferatur, ubi preces pro illo effundit, nepotemque vitæ reſtituit. Mater, cui nondum nuntiatum fuerat iſtud miraculum, mœrore confecta ad Fratrem ſuum confugit aliquod ſolatium quæſitura, & fatetur, niſi ipſa filium a Religionis conſilio deterruiſſet, illum nequaquam fuiſſe moriturum. At modone præberes aſſenſum, illam Sanctus interrogat? Heu, nimis ſero meus accedit conſenſus, mœſta parens reſpondit. Illam expectare ſe jubet Franciſcus, cumque in cubiculum ſuum aſcendiſſet, Religionis veſte Nepotem induit, quem deinceps ad Matrem adduxit. Hic inſignis eſt Pater Nicolaus de Aleſſo, qui mox comitatus eſt Avunculum ſuum in Galliam, ibique ſancte vitam ſuam obiit. *Exercitia pietatis P. Croiſet.*

Thaumaturgi hujus miracula confundere debent hæreſes, quæ ſubinde poſt Sancti hujus mortem inſurrexerunt.

Per vos mihi liceat exhibere vobis S. Franciſcum de Paula tamquam inſignem Thaumaturgum quod nomen conſecravit antiquitas. Recogitate, ſi vobis lubet, admirabilem hanc poteſtatem, ad quam maxime terribilium Principum poteſtas numquam accedit; quandoquidem ea quæ abjectiſſima videntur, ſæpe omnia eorum evertunt conſilia; illis invitis procella claſſes optime inſtructas, & exornatas diſſipat; intempeſtivum tempus omnes conatus eorum eludit; fames locupletiſſimas provincias ad inopiam redigit; morbus frequentiſſimos illorum exercitus proſternit; incendium fortiſſimas arces diruit. Franciſcus Paulanus veluti naturæ dominus illam ubique docilem invenit. Imperat ille? ignis vim ſuam cohibet; lapides ſuum pondus amittunt; mare ſub pedibus ejus ſolidatur; venti quieſcunt; fluctus ſedantur; tenebræ vertuntur in lumen; morbi diſſipantur; & mors ipſa, licet indomita, cedere cogitur. Nullus eſt dubitandi locus de horum miraculorum veritate, quod ſpiritus fortes hujus ſæculi faciunt, neque nimiæ credulitatis arguendi Patres noſtri, qui eorum memoriam piis conſecravere monumentis, quæ undequaque ſeſe oculis noſtris offerunt. Avertat Deus, quod temerarius fidei communis cenſor Catholicæ Eccleſiæ auferam eam utilitatem, quam in hiſce miraculis nanciſcitur. Deus illa per Sanctum hunc Virum operari volebat, ut in anteceſſum damnaret hæreſes, quæ non multo poſt obitum illius in Europa inſurrexerunt. Tandem enim quam potens & validum adverſus illa præjudicium eſt caterva miraculorum quæ patrata fuere in Eccleſia, cujus illæ doctrinam oppugnant, & auctoritatem ab ipſo Dei Filio in eadem Eccleſiæ ſuæ inſtitutione conſtitutam contemnunt? Certum eſt, ſi Hæreſiarchæ iſti, qui paullo poſt S. Franciſci Paulani deceſſum, cujus memoria adhuc recens erat, deſciverunt a Fide, voluiſſent minime claudere oculos lumini, quod Deus adhuc offerre in ejus perſona dignabatur, nequaquam ſeceſsiſſent ab Eccleſia, cujus filii tot prodigiis veritatem probabant. *Sermo Manuſcriptus P. Martineau.*

Generoſa libertas S. Franciſci de Paula in annuntiandis veritatibus, quas adulatores Regibus ab ſcondunt.

S. Franciſcus de Paula prorſus ſancta generoſitate ingreſſus eſt in Regum aulas, ibi nuntiaturus veritatem, quam ſubditorum aſſentatio, atque propriæ ipſorum cupiditates illos plerumque celant. Nonne auſum eſt Regi Neapolitano ob oculos ponere populorum anguſtias, qui ſub immodico tributorum pondere languebant, ab ipſo irrogatorum? Nonne diſcreto quidem, ſed generoſo zelo dixit ei, ipſum alienis tan-

BIBLIOTECA CENTRAL

tantum opibus eſſe locupletem; non debere illum arbitrari ſe theſaurorum ejus eſſe dominum, ut de illis ad arbitrium diſponeret, ſed procuratorem, ut illos in populorum ſalutem erogaret; illum a Deo conſtitutum eſſe Dei miniſtrum, ut populos beatos efficeret, non ut faceret miſeros in luxum, libidinemque ſubſidia ex populorum labore, & ſubſtantia deprompta inſumendo? Nonne fecit, ut ex nummo, quem ille coram eodem rege perfregit, manaret ſanguis, ut ſi minus verbis, ſaltem miraculis ei perſuaderet; atque in eo cieret miſerationem ſenſibili hoc publicæ miſeriæ, & calamitatis argumento, & ut illi ſignificaret ipſius impotentiam, atque inhumanitatem, oſtendens illi in hoc metallo ſenſu carenti, miſerrimam imaginem plagæ illius, quam in populorum ſuorum corde gignebat. *Flechier*.

Qua licentia Ludovico XI. aperuit neceſſitatē ſemet ad mortem obeundam præparādi.

Fatendum eſt, S. Franciſcum de Paula chriſtianam vere licentiam ſibi vendicaſſe, ut Principes viros de vitiis ipſorum corriperet, eoſque de officiis ſuis commoneret. Qua generoſitate Ludovicum XI. admonuit, ut ſeſe morti diſponeret? Rex iſte, ut liquet, illum arceſſiverat ſperans fore ut precum illius ope languentem proferret vitam, quam ægerrime relinquebat. Franciſcus nequaquam illi blanditur; ſed audacter id illi aperit, quod olim Iſaias Propheta Regi Ezechiæ: *diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*. (*Iſai.* 38.) Hæc eſt Dei voluntas, & nihil te eripere poteſt a morte. Nemo erat, qui Regi huic proximi obitus nuntium auderet afferre; unuſque in terris repertus eſt S. Franciſcus de Paula, cujus caritas adeo generoſa fuit, ut non dubitaverit nunciare illi duriſſimum hoc verbum, quo audito Reges contremiſcunt. Nemo unus ignorat quodnam fuerit hujus Regis ingenium. Genio varius, ac moroſus, in conſiliis impenetrabilis, in odiis implacabilis, inconſtans in amicitiis; æque & amicis & inimicis formidandus, & æque de utriſque diffidens, ac ſuſpicioſus. Aliquando ad ſuperſtitionem uſque devotus, ſemper vero eo uſque politicus, ita ut omnia, quæ ad conſcientiam pertinent, nullo in diſcrimine haberet, ubi de regno, regnique utilitatibus ageretur; Denique nemo unquam magis vitam amavit, vel mortem extimuit. Ad hoc tamen omnes curæ, atque cogitationes, vellet, nollet, erant impendendæ: quod tamen S. Franciſco reſervatum erat, qui deinceps ferocem, intractabilemque ſpiritum hunc circumivit; colloquiis ſuis illi pietatis ſenſus immiſit, conſiliis eum ad veram pœnitentiam diſpoſuit, precibuſque ſuis illi piam mortem obtinuit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Idem argumentū aliter expoſitum.

Quanam firmitate, ſanctaque conſtantia S. Franciſcus Paulanus Ludovico XI. mortis proximæ nuntium contulit? Princeps hic, cujus diſſimulatio character extitit, in ultionibus ſuis implacabilis, aliis decipiendis ſemper intentus, ſemper expaveſcens, ne ipſe deciperetur ab aliis, in ingrata ſenectute trahebat ejus vitæ reliquias, quam artibus omnibus proferre adnitebatur; mox ad ſuperſtitioſas devotiones confugiens, modo ad inutilia remedia; qui tandem poſtquam humana omnia expertus fuiſſet conſilia, extremam ſpem in S. Franciſci virtute & precibus collocavit. Cum enim miraculorum ejus fama quocumque pervaſiſſet, arbitratus eſt, ſe per illius orationes miraculoſam curationem eſſe conſecuturum. Adeo verum eſt mortem amaram eſſe homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis. Alius homo minus ſolidæ pietatis, quam S. Franciſcus Paulanus, fortaſſe aliquo ſecretæ oblectationis genere illectus facile palpaſſet Regem, a quo evocabatur, ut vitæ ſuæ curſum proferret; cumque illius valetudinem priſtinam reparare non poſſet, aliquam ſaltem illi vitæ ſpem immittere ſtuduiſſet. Sed ille Regi mortem annuntiat: *Morieris tu, & non vives*. Non utitur ille artibus, quæ vulgo adhiberi conſueverunt ad verbum hoc triſte mulcendum; etenim vix audet quiſpiam Regibus dicere, illos mortales eſſe tunc etiam, cum actu moriuntur. Sed hic Propheta miſſus a Deo has turpes execratur blanditias; Ob Regis oculos exhibet ſepulcrum, quod jamjam aperitur, ut ejus corpus excipiat; Poſt mortis terrorem excitat in ipſius anima ſalutarem judiciorum Dei metum, & prorſus oppoſitus crudeli pſeudoamicorum miſericordiæ, qui ſinunt animam interire, ut corpori aliquod afferant ſolatium; credidit ſe melius de hoc Principe meriturum fuiſſe, ſi aliqua ex eo obtinere potuiſſet pœnitentiæ momenta ante mortem, quam ſi vitæ illius plurium annorum faceret acceſſionem. *Ex ſpecimine Panegyricorum*.

Alter hoc ipſum offertur.

Quænam fuit S. Franciſci Paulani fortitudo, cum poſtquam Neapolitanum Regem docuerat bene vivere, acceſſit, ut Regem Galliarum bene mori doceret. De Ludovico XI. loquor. Rex hic in conſiliis ſuis impenetrabilis, in ira implacabilis, ſemper ſuſpicioſus, ſemperque ſuſpectus, aſſuetus ſtruendis inſidiis, & iis quæ ſibi ſtruerentur, pertimeſcendis; aliis ſibique odioſus, in triſti ſeceſſu trahebat miſeras ejus vitæ reliquias, quam in aliis perturbandis, & ſe ipſo vexando traduxerat. Deus, qui ſæpe in peccatores animadvertit per ipſorum peccata, tradidit illum ſuis ſuſpicionibus, atque ægritudinibus; factaque ex cupiditatum illius ſubjecto, ſuppliciorum ejuſdem materia, permiſit, ut propriis diſcerperetur curis; & poſtquam in univerſum terrarum orbem ſui timorem incuſſerat, ipſe quoque viciſſim univerſum terrarum orbem reformidaret. Jugiter ob oculos illius mors verſabatur, non ut ſe illi præpararet, ſed ut illam ſemoveret. Quantumvis diſſimulandi artem in paucis calleret, hanc diſſimulare imbecillitatem non valuit. Magis cupidus tuendi auctoritatem ſuam, quam timidus ſubeundi jacturam animæ ſuæ; longas peregrinationes ſuſcipiens magis ex timiditate, quam ex pœnitentia; quærens ſeſe inter terrores ſuos confirmare, & inquietam conſcientiam ſuam ſuperſtitioſis devotionibus ſedare; ſibique contra mortem vallum objiciens imaginum, & reliquiarum eorum Sanctorum, qui illam ſapientiſſime expectarunt, & generoſiſſime obierunt, fruſtra quælibet perquirebat ſubſidia, nihilque ſibi vel ab arte, vel a natura promittere valens, tandem ſibimet blandiebatur ſpe miraculoſæ curationis. *Mors! quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis!* Tunc Princeps iſte poſtquam omnes Cæli Sanctos invocaſſet, ad illos terræ confugit, atque omnia tradens pro anima ſua, ut loquitur Scriptura, miſit Legatos uſque in penitiores Calabriæ montes, ut Sanctum hunc virum arceſſeret ad miraculum in ſui gratiam patrandum vitæque ſuæ terminos proferendos. Vir quilibet minus ſolidæ virtutis exiſtimaſſet ſibi feſtinandum, ut eo afficeretur honore, qui exiſtimationi virtutique ſuæ parabatur. Reſpexiſſet Galliam veluti theatrum aptiſſimum, ubi Dei gloria primum, mox vero per accidens & propria enitéſceret. Regem ad juſtitiam, & pietatem fuiſſet hortatus, ſed gratiam ejus ſibi aucupari ſtuduiſſet. Arripuiſſet hinc occaſionem recenti Inſtituto ſuo celebritatem comparandi, nec non Principis protectionem, atque effuſam liberalitatem ſibi demerendi, fortuito illi ſpem incertam faciens vitæ longioris, atque Dei negotia pertractans, propria minime contempſiſſet. Verum longe aliter accidit. Franciſcus de Paula ſatis eſt in Dei ſui amore fundatus, ſatis humilis eſt, ac generoſus zelator æquitatis, nec unquam ne tranſverſum quidem ut ajunt unguem a Dei caritate ſecedit. Regi omnia pertimeſcenti annuntiat, dies ejus ad exitum eſſe perductos; tempus eſſe diſponendi animam ſuam, & cogitandi qua ratione Dei Judicia ſincera, licet breviſſima, pœnitentia poſſit prævertere, ſi ad gloriæ futuræ perfruitionem velit adniti. *Flechier*.

Ejuſdem argumenti.

Ludovicus XI. S. Franciſcum Paulanum in Galliam accerſiverat dumtaxat, ut corporis ſui bonam valetudinem obtineret; ſed incomparabilis hic Vir, principis illius cæcitatem miſeratus, palam ei profeſſus eſt, illum non niſi de animæ ſuæ ſalute eſſe oportere ſollicitum. Quiſnam alius zelus, quam Sancti hujus, ſuſtinuiſſet ſolum illius regis aſpectum, cujus ſuperbia inter ipſos languores, quibus conficiebatur, magis magiſque terrorem incutiebat? Regis illius, qui cum toto vitæ ſuæ ſpatio voluerit ſe ipſum Europæ totius arbitrum conſtituere iis artibus, quæ nunquam ſatis intelligi poſſe videbantur, tunc uni vacabat curæ, amovendi ſcilicet mortem, quam prope ſibi imminere ſentiebat? Regis illius, qui poſtquam ſolium ſibi firmaverat iis artibus, quas regnandi libido poteſt ſuadere homini inquieto, diffidenti, ſuſpicioſo, & ex finitimorum turbis proficere quærenti, viam quærebat regni ſui proferendi contra ipſius Cæli judicia quod terminos conſtituit, quos humana potentia præterire nullatenus poteſt. Sanctus Noſter ipſum illi verbum protulit; verbum triſte, ac fatale, quod aulicorum nemo illi dicere audebat, quia impune illi dici non poterat: *Morieris tu, & non vives*. Cur te inani curationis ſpe fallam? Scias, morbum hunc eumdem finem, quem vita tua habiturum. Reliquo igitur tempore utere, non ut recentia conquiras pharmaca, ſed ut ad mortem chriſtiane obeundam diſponas: *Morieris tu, & non vives. Sermo Manuſcriptus P. Martineau*.

Magna auctoritas, qua S. Frāciſcus Paulanus apud Deum fruebatur.

Revocate, ſi vobis lubet, magnum illud periculum, quod ſubiit Italia, cum prope fuit, ut Mahumedis II. Imperio ſubjiceretur, ac infidelibus ejuſdem copiis opprimeretur. Princeps ille æque potens ac ambitioſus poſtquam Græcorum everſiſſet imperium, molitus eſt Filii Dei Regnum in ipſa ejuſdem Metropoli evertere. Credidit, ſilentium neceſſe eſſe, ut omnia ex voto contingerent. Simulavit igitur omnem armorum ſuorum vim in finitimos ſibi populos convertere, ut facilius eos, qui longiſſime aberant, imparatos opprimeret. Omnes belli apparatus contegere ſtuduit, ut perderet Romanos ſub ſpecie fœderis cum illis inſtaurati. Sed quam admirabilia ſunt judicia tua Deus, & quam belle evertere, atque perturbare noſti hominum conſilia, quæ ſapientiſſime capta videntur, & quorum ſucceſſus certiſſimus videtur futurus! Franciſcus de Paula, propheta ille potens & verbo & opere, neſcius quid circum ſe fiat, unice ſibi uni intentus, latens in eremo, nullam habens ſæcularium negotiorum cognitionem, de penitioribus receſſus ſui latebris politici hujus infidelis ſecreta detegit; & cæleſti afflatus lumine, aperit facinus, quod humana Sapientia penetrare non poteſt. Interrumpit curſum contemplationum ſuarum; Principes ad vim ſtrenue repellendam; Populos ad pœnitentiam, ac Sacerdotes ad preces fundendas hortatur; ipſe vero ſuas duplicat auſteritates, ut Principem impium armis exuat, iramque Dei a Chriſtianorum cervice depellat. Deus vero, qui de populo æquiſſimas repoſcere cupiebat pœnas, permiſit, ut amantiſſima famuli ſui monita tamquam vanæ imaginationes, inutiles viſiones, ac deliramenta haberentur hominis, qui facile falli, ac perterreri poterat. Eventus tamen nihilominus veriſſimum Sancti vaticinium oſtendit. Tarenti oppidum primos expertum eſt furores claſſis infidelium, & a barbaro imperatore captum, jure, ſed nimis ſero, in omnem Chriſtianum orbem late terrorem incuſſit. Viſa ſunt Lunæ creſcentis cornua illic appoſita, ubi crux adorabatur; & Roma, illa Imperii Chriſtiani mater & caput, expavit, ut in communis nationum omnium inimici dominationem laberetur, fieretque ſedes infidelis imperii. Videre hic mihi videor furorem omnem fluctuum maris agitati, ac indignantis in arenæ granum allidi. Tyranni-

rannica, & terribilis ambitio! poſt tot procellas, quas excitaſti, non ultra procedes: *Hoc uſque venies, & confringes tumentes fluctus tuos*. (*Job.* 38.) Non exercituum robur, non fœderati Principes, non militum virtus barbari hujus victoris impetum retardabunt; ſed preces Solitarii pauperis, & rerum omnium egeni invictum objicient vallum huic torrenti Italiæ univerſæ interitum portendenti. Enim vero Franciſcus de Paula, velut alter Moyſes egreditur ex deſerto populum Dei a Pharaonis captivitate liberaturus: ejecta ex fidelium animabus formidine, ſpem, atque confidentiam parit. Comiti de Arena Chriſtianorum Imperatori dat ille cereum benedictum, tanquam pignus victoriæ, quam ille mox cumulatiſſimam refert; & Eccleſia credit, illi uni acceptam referendam eſſe non extremam ex iis Victoriis, quas Chriſtiani de infidelibus retulerunt. *Ex Specimine Orationum Panegiricarum*.

Alia ejuſdem facti narratio.

Immodica Mahumedis II. Ambitio, quo uſus eſt Deus ad punienda populorum Orientis flagitia, iniit conſilium, devicta jam Conſtantinopoli, triumphos ſuos ad ipſam uſque Romam proferendi. Id ut tutius exequeretur, nihil prætermiſit, atque ſecretum ſuæ addidit ſolertiſſimæ diligentiæ. Crederetiſne ea in regione, cujus potiſſimus character eſt perſpicaciſſima futurorum præſcia politica, Franciſcum de Paula unum fuiſſe, qui barbari Victoris conſilia præſentiret? Rem ille palam protulit, ſed ei fides habita non fuit, ſeu quod pudore ſuffunderentur fateri, bonum Eremitam magis perſpicacem fuiſſe, quam alios omnes ſimul, ſeu quod voluerit Deus ad tempus, Prophetiæ ſuæ gloriam deſiderari, ut mox accederet gloria Protectoris Occidentis majori cum pompa & nitore. Quomodocumque ſit, quamprimum Mediterraneum mare claſſe Turcica obumbratum eſt, quæ nullum obicem nacta ad Italiæ litora appulit, ac Otranto potita eſt. Europa in ipſis vel remotiſſimis regionibus ſuis contremuit; cumque populis perſuaſum eſſet, unum S. Franciſcum de Paula poſſe eam fugare tempeſtatem, quam ſolus præviderat, magis in illius precibus, quam in Principum ſuorum exercitibus confiderunt. *Ex Manuſcripto Sermone P. Martineau*.

Factum idē aliter expoſitum.

Mahumedes II. infenſiſſimus Chriſtiani nominis hoſtis devicto Græcorum imperio, jamjam & illi Romanorum inhians, viam hujus etiam potiundi inquirebat; cumque opes ejus non eſſent ambitione ipſius minores, de ſuſcepti conſilii eventu nequaquam dubitabat, ſi illud ſecreto tegere potuiſſet, donec aliquo Italiæ oppido potiretur, quod ad reliquos conatus viam ſibi ſterneret faciliorem. Franciſcus qui cæleſtibus cogitationibus addictus in eremo & ſpecu ſuo terrena omnia ignorabat, divinitus ambitioſam hanc intellexit expeditionem, qua chriſtiana Religio prope erat, ut labefactaretur. Egreditur ille de eremo laturus opem, ac tantum excidium ſemoturus. De hoc certiores facit Principes Chriſtianos, eoſque hortatur, ut pro virili tantum periculum avertant. Monet Antiſtites, ut publicas preces indicant, populiſque ſuadet, ut Divinam mulcere iracundiam ſincera pœnitentia conentur. Primum quidem monitum hoc adeo ſalubre cachinnis exceptum fuit, habitumque tanquam viſio Solitarii ac imaginatio mera; ſed monitum hoc de cælo dilapſum fuiſſe probavit eventus, cum poſtquam in otioſa ſecuritate ſine præcautione ulla ſopiti omnes quievere quin aliquid præcaverent, Italia, atque Religio Chriſtiana viſa ſunt in interitum ruere propter ſæviſſimi hoſtis conatum, qui repente exarſit, cum minus id eventurum homines ſuſpicarentur. Improviſum iſtud periculum univerſum terrarum orbem e ſopore excuſſit, neque aliud præſentius, tutiuſque conſilium ad præſens malum arcendum inventum fuit, quam ad illum confugere, a quo prædictum, ac prænuntiatum fuerat, ut ille ſua apud Deum auctoritate illud everteret. Hæc prima, ac urgentiſſima extitit occaſio, qua Sanctus noſter enituit, precibus ſuis inutiles efficiens conatus furentis hujus hoſtis, qui quocumque vaſtitatem, cædemque afferebat. Quid glorioſius Sancto huic accidit viro, ſi tamen ulla gloriæ illecebra affici potuiſſet, quam mox haberi tamquam Rempublicarum patronus, & Eccleſiæ atque Religionis præſidium? *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Sancta, & pretioſa, mors S. Frāciſci de Paula.

S. Franciſcus de Paula dum viveret mundi gloriam neglexit, anhelabat enim ad ſolidiorem gloriam Cæli, in cujus poſſeſſionem ipſum adduxit Caritas ſua, per mortem æque ſanctam atque glorioſam, ac ipſius vita fuerat: quandoquidem illam potius Divini amoris conatus, quam morbi vis eripuit, quemadmodum judicatum fuit ex mortis ejuſdem circumſtantiis, quæ accidit ipſa feria ſexta majoris hebdomadæ, eademque hora, qua Mundi Salvator expiravit. Cum enim juſſiſſet ſibi ſemel, & iterum legi Dominicæ Paſſionis hiſtoriam, cujus verba ſingula fuerunt veluti totidem ſpicula, quæ cor illius penetrarunt; vitam ſuam abſolvit actu ferventiſſimæ Caritatis. O mortem in conſpectu Domini pretioſam! & quæ ante oculos illius non minus glorioſa eſt, quam pro ipſa caritate mortem oppetere: quamvis gloria veri, & poſitivi Martyrii, quod illi defuit, ut vitæ adeo ſanctæ corona imponeretur, videtur illi poſt mortem, poſthumo martyrio, abſit verbo invidia, conceſſum. Hæretici quippe cultus Sanctorum inimici æque ac illius, qui Deo ipſi adhibetur, videntes caritatem Franciſci adhuc in tumulo viventem per multitudinem miraculorum, quæ ibi ſingulis diebus patrabantur, inhumane in ſanctum illius corpus igne ſævierunt, & illud adhuc integrum poſt quinquaginta ab obitu annos cremarunt, atque hoc pacto longum abſolverunt martyrium, quod vivens pertulerat, quemadmodum in illius honorem canit Eccleſia; *longum tulit Martyrium*. Ita poſtquam cor ejus ardenti caritate æſtuavit, quamdiu ille vixit, corpus redactum fuit in cineres a barbaris, qui ipſo Crucifixi ligno uſi ſunt ad excitandas flammas, quaſi non alio cremari poſſet igni, quam eo, qui alitur cruce, in qua Deus inſignem amoris ſui erga homines oſtendit exceſſum. O glorioſum ſacrificium! o pretioſa commixtio ligni crucis & corporis Sancti Franciſci de Paula, qui poſtquam quocumque tulit caritatis vexillum, poſt mortem abſumptus fuit igne, qui ex Crucis vexillo exarſit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Mortuum illius cadaver miraculum operatus eſt, quod commovere poterat omnes a quibus per ſummū nefas profanabatur.

S. Franciſci Paulani corpus quod nullum grave crimen polluit unquam, & tot virtutes ſanctificarunt, licet mortuum, operatum eſt prodigia, quæ eos commovere poterant, a quibus polluebatur, ſi rabies, qua agebantur, aliquod feciſſet in illis reliquum rationis, ac mentis: *Et prophetavit mortuum corpus ejus*. (*Eccl.* 48.) Ignis ſi ita loqui fas eſt, religioſior illud reveritus eſt; ad plures horas vim ſuam ſuſpendit quaſi locum, tempuſque daturus impiis agnoſcendi, & reparandi impium conatum. Denique tunc tandem agere cœpit in Sanctum corpus, cum impii in cineres redegerunt adorabilis Salvatoris Crucifixi imaginem; quaſi Sanctus docere voluiſſet, non eſſe diſcipulum ſuper Magiſtrum ſuum, & ſe velle poſt ipſam mortem participem fieri contumeliarum, quibus Deus ſuus afficiebatur, cujus humiliationum particeps eſſe voluerat, dum viveret. *Sermo Manuſcriptus P. Martineau*.

Viventes S. Franciſci Paulani reliquiæ ſunt Religioſi Ordinis ejuſdem.

Quid addere poſſum ut Magni hujus Sancti viri elogium concludam. Unum hoc mihi reliquum eſt verbum, quo vos conſoler; videlicet, ſi furor Hæreticorum Galliam, præſertim vero Turronenſem civitatem, ubi obiit, pretioſo hoc viduavit depoſito; pro mortuis, animaque carentibus reliquiis, S. Franciſcum de Paula alias viventes reliquiſſe, a quibus non minus opis percipere poſſumus. Sunt autem hinc quidem Sanctus Ordo quem inſtituit, inde vero ſanctæ vitæ ipſius exemplum, quod recens adhuc in noſtra viget recordatione. Quod ad Ordinem ipſius pertinet, verbo dicam, Sanctum hunc adhuc vivere, & renaſci in filiis ſuis tanquam in totidem viventibus ſui ipſius imaginibus, quoniam legant veſtigia, quæ glorioſus Inſtitutor ipſis reliquit; & ſub ipſo caritatis vexillo decertant: ita ut ſubditi omnes, qui illum componunt Ordinem, dicere poſſint cum Apoſtolo in omnibus operibus ſuis: *Caritas urget nos*. Caritas illos agit, & animat; cum de ſuggeſtu concionantur, cum in Pœnitentiæ Sacramento peccatores Deo reconciliant, cum inter homines verſantur, cum vitam ſuam in tot glorioſis laboribus traducunt: *Caritas urget nos*. (*1. ad Cor.* 5.) Caritas illos excitat ad eos ſuſcipiendos; ſub hoc vexillo merent ſtipendia; hæc Patris ſui hereditas eſt, quam tuentur veluti characterem, quo ſemper diſtincti fuere. *Auctor ſermonum in omnia argumenta &c.*

Idē ſequitur argumentum.

Non parva eſt S. Franciſci Paulani gloria poſt ſe homines reliquiſſe, qui luminibus ejus repleti, animati caritate, regulis ducti, vivunt pro ſe quidem in ea auſteritate, quæ raro exemplo poſt duo ſæcula ne minimum quidam labefactata eſt; pro aliis vero ſanctificandis in ea cura adeo ſapienti, conſtanti, atque ædificante, ut centies autenthicis teſtimoniis probarit Eccleſia ſe in illis non minima invenire ſubſidia.

Domus Minimorum Pleſſiaci prope Turonem.

Sed præſertim in ſancta domo ubi S. Franciſcus de Paula vivit adhuc. Amiſit illa quidem pretioſas Sancti hujus viri exuvias, ſpiritum tamen ſervat adhuc, ideoque de cælo eam cum voluptate proſpicit. Dicendum eſt: quidquid iſtic ſeſe meis oculis offert, nonne longe melius, quam ipſe dicere valeam, iſtud enarrat? Hic igitur potiſſimum illi vota nuncupari poſſunt. *Ec Sermone Manuſcripto P. Martineau*.

Varia S. Franciſci Paulani Elogia.

Prodigium, quod olim admiratus eſt Cardinalis Petrus Damiani in homine, qui in aula verſabatur, fuit, exercere jejunium ſumma, qua fieri poterat, auſteritate eo in loco ubi deliciæ, & rerum omnium affluentia ultro ſe offerunt; vivere in paupertate, cum ſibi patere videntur Principum potentiſſimorum theſauri; profundiſſimæ humilitatis ſenſus fovere inter plauſus, & laudes, quæ undique deferuntur. Prodigium hoc S. Franciſcus Paulanus inſtaurat; nihil ex priſtino vivendi more immutat inter florentiſſimas Europæ aulas; ibi, non ſecus ac in eremo eamdem videbitis exercere auſteritatem, quæ ipſos etiam illius ſocios perterret, quibus illam non ſine miraculo perſuaſit, cujus adhuc ſuperſunt veſtigia in Illuſtri Monaſterio Pleſſiaci prope Turonem? Ibi illum videbitis non ſecus ac in deſerto, omnia terræ bona contemnere tunc etiam, cum non mediocris illorum copia eidem offertur; cujus rei argumento eſſe poteſt quod illi accidit, cum nobili cuidam viro ſibi ingentem auri, argentique vim offerenti, dixit in eam ſententiam, quam olim S. Auguſtinus uſurpaverat; ſe nequaquam ſua ſæculi bona abjeciſſe, ut alienis ſpoliis locupletaretur: Illic illum æque ac in deſerto videbitis ſemper intra nihilum ſuum coarctatum, cum interim undequaque laudes illius celebrantur. Hæc virtus eſt æque rara, ac excellens, S. Bernardus ajebat, propriam ignorare magnitudinem, cum interim ante aliorum oculos ob ſexcenta præclara facinora magnus videris. *Rara, & magna profecto virtus eſt, ut magna licet operantem, magnum te neſcias*. Etenim ſi magni laboris eſt, ſecreta quadam non affici voluptate, cum aliquid nobis meriti ineſſe cognoſcimus; num facile eſt, nulla pertentari oblectatione, cum omnium ora, vultuſque in nos converſos eſſe ſentimus? *Ex manuſcripto Patris Martineau*.

BIBLIOTECA CENTRAL

Elogium incomparabilium virtutum illius.

Non ita facile mente aſſequi licet, quomodo unus homo ſufficere poſſit tot curis, & actionibus, quot S. Franciſcus Paulanus. Solus erat anima naſcentis Ordinis ſui, mirum in modum, cum adhuc viveret, multiplex factus; undique velati Chriſtiani Orbis oraculum conſultus, omnibus reſpondet. Summi, & imi catervatim ab eo pro quovis infirmitatis genere quærunt ſubſidium, & cum gravi hac laborum aſſiduitate omnes fere, integraſque noctes in precibus traducit; non aliud habet cubile, quam lapidem, tabulamque. Vita ejus juge jejunium eſt; cruentis flagellis, ferreiſque aculeis præfixis diſcerpit ſuum corpus ejuſque indumentum, ſi proprio uti velimus vocabulo, cilicium eſt. Ita Caritatis igne æſtuabat, ut crucifixi intuitus, vel oculorum acies in cælum ſublata ſufficeret ad hoc, ut in extaſim raperetur; ejus autem erga Dei Matrem devotio adeo erat tenera, ut ad ſolam Sancti nominis ejuſdem pronunciationem lacrimis temperare non poſſet. *P. Croiſet in Exercitiis Pietatis.*

Gratiæ, & ſupernaturalia dona quæ Deus in Sanctum hunc effuderat.

Si judicium ferendum eſt ex conſiliis, quæ de S. Franciſco Paulano ſibi propoſuit Deus, hunc ille elegerat ut eſſet lumen ſæculi ſui, Magiſter Regum, Oraculum populorum, Galliæ Apoſtolus, & ejus Ordinis Patriarcha, cui nihil parvum eſt præter nomen, quod tandem eſt veræ magnitudinis ejus argumentum. Si conſiderantur lumina non vulgaria: quæ illæ in hujus animam effuderat, videtur nihil unquam ex theſauris ſapientiæ Dei tanto huic viro, ſecretum, aſconditumque fuiſſe. Neapolitano Regi imperii jacturam vaticinatus eſt, Ludovicus XI. vitæ finem, Carolo VIII. ea quæ vel proſpera, vel adverſa in Neapolitana expeditione erant eventura; Ferdinando Regi victoriam de Mauris referendam; Julio II. Supremam Romani Pontificatus dignitatem. Si de illius miraculis verba facienda ſunt, ſæculi ſui Thaumaturgus erat, non vulgaris cujus potentia ſuper naturam omnem late patebat. Super aquas tanquam ſuper ſolidam ſtratamque viam ambulabat; montes retrocedere jubebat; pendulas rupes ruere vetabat; ignem ignitaſque prunas, tanquam roſas attrectabat; ardentes ingrediebatur fornaces, quin læderetur; aeris tempeſtates mulcebat; in aerem raptus, ſublatuſque ipſo etiam Ludovico XI. ejuſque aula inſpectante manebat; mortuos ſuſcitabat; imperioſe morbos æque, ac dæmones extrudebat. Ejus præſentia, obtutus, verba, pedes, manus, veſtimenta, quidquid illius erat, miracula operabantur. Denique Caritatis nomen in ore ejus idem erat, ac virga Moyſis; in manibus hujus ſæpe illud proferebat; at nunquam eodem utebatur, quin inſigne miraculum aliquod operaretur. *P. Novet.*

Oratio ad S. Franciſcum Paulanum.

Sancte Vir quacumque Cæli ex parte Galliam proſpicias, nullus dubito, quominus illam ea, qua olim caritate amplectaris. Illam aſpectu tuo decoraſti annorum vigintiquinque intervallo; ibi pretioſas exuvias tuas reliquiſti; & quemcumque furorem, ac rabiem hæreſis in ſacras reliquias tuas exercuerit, ligno Crucis tuum corpus comburens, hoc eo ſpectavit, ut tibi poſt mortem ipſam martyrii coronam, toties a te, dum viveres, concupitam, compararet. Centies detraxiſti de cælo benedictiones in nos, in Reges, & Regna; tibi in præſentiarum neque minus poteſtatis eſt, neque caritatis, quam cum in hac vita verſareris. Per hanc igitur caritatem preces noſtras exaudi tu, qui caritati omnia conceſſiſti, & nihil unquam caritati negaſti. Eſto protector noſter, ſicut patrum noſtrorum fuiſti. Averte ea mala, quæ bellum, hæreſim, & vitium in hoc regno parere poſſent. Et pietas, atque pax nos æque ſanctos in terra, ac in æternitate beatos efficiant. *Idem.*

PRO SANCTI PHILIPPI NERII INSTITUTORIS CONGREGATIONIS ORATORII IN ITALIA PANEGYRICO.

MONITUM.

SUpremi Paſtoris providentia Eccleſiæ neceſſitatibus ſemper intenta in perſona Sancti Philippi Nerii præbuit eidem perfectiſſimum illius Sanctitatis exemplar, quam in illis requirit, qui ejuſdem præcipuam, ampliſſimamque partem conſtituunt, videlicet in Miniſtris Domini ad ſtatum hunc evocatis, ut eorum opera Sacerdotium ipſius efficiatur æternum.

Verum quidem eſt, omnem incomparabilis viri, cujus hodie memoriam recolimus, ſanctitatem in ſatis communium actionum ſerie, & in officiis ejus miniſterii, quo ſumma cum laude fideliter perfunctus eſt contineri: quæ omnia non tantum ſacri Oratoris eloquentiæ campum aperiunt, quantum Apoſtolicæ vitæ genus in arduis miſſionibus, & cœptis, quæ felicem eventum obtinuere: veruntamen dicere poſſumus virtutes, atque labores Sancti Philippi Nerii, quod in hominum oculis non adeo renident, non ideo minoris eſſe meriti apud Deum: zelumque ipſius in procuranda omnibus artibus plurimorum peccatorum converſione, reformatione morum in urbibus integriſque Provinciis, reparatione fervoris in Eccleſiaſticis; conſtantem ejus in laborioſiſſimis muneribus fidelitatem ac denique inæſtimabilem fructum, quem in Eccleſia tota retulit, cum iis etiam, qui præ ceteris Sanctitate floruerunt, coæquaſſe.

Animadvertendum eſt dumtaxat, 1. Cum Sanctus Philippus Nerius noviſſimis hiſce ſæculis vixerit, in laudem illius afferri non poſſe ſcripturæ locos, & Sanctorum Patrum auctoritatem, niſi per applicationem. 2. Quemadmodum illum in Eccleſia ſua poſuit Deus, ut eſſet exemplo præſertim Eccleſiaſticis, videri poſſint officia huic ſtatui inhærentia; per quæ magnus hic vir ſe ipſum ſanctificavit, Tomo II. Bibliothecæ Concionatorum, titulo Eccleſiaſticus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Orationum Panegyricarum hujus Argumenti Synopſis.

Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem: qui juxta cor meum & animam meam faciet: & ædificabo mihi, domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus 1. Reg. c. 2.

I. AD Sancti hujus elogium exornandum intueri poſſumus.

1. Diſpoſitiones, quas attulit, ut Sacerdotium reciperet; atque inde occaſionem arriperet oſtendendi quanam puritatis intentione ſe ſe terribili huic miniſterio debeant offerre, qui ad dignitatem adeo eminentem contendunt.

2. Oſtendi poſſunt Sacerdotii ipſius occupationes; ejuſque exemplo erudire illos, qui hoc munus ſubierunt, quod cum ſui non ſint, ſed Eccleſiæ, a qua vocati fuerunt, omnino ad ſalutem animarum debent incumbere.

Ad primum diviſionis punctum exornandum oſtendi poteſt, 1. Sacerdotii ſtatum reliquorum eſſe ſublimiſſimum: 2. Nullum idcirco eſſe, qui majores diſpoſitiones requirat: 3. Sanctum Philippum Nerium, cui explorata erat Sacerdotii dignitas, ſemet eidem perfectiſſime præparaſſe. Sacerdotes nonne peculiari devotione pertinent ad Deum? nonne illi præ ceteris magis adhærere debent? Deo enim propiores ſunt per characteris ſui privilegium, & ceteris eſſe debent puriores. Deum orant, exorantque pro fidelibus, & apud Deum funguntur oratoris officio, adorabilem Salvatoris perſonam referentes. Offerunt, & Sacra Myſteria diſpenſant: oportet ergo ut ipſi omnium primi fructus eorum percipiant. Alios reprehendunt, ipſi vero eſſe debent irreprehenſibiles. Cum illis difficilius ſit poſt lapſum conſurgere, ita majori cura & metu innocentiam ſuam ſartam tectam debent tueri. Hæc enarratio duo probat, alterum Sacerdotii ſtatum ampliſſimum eſſe, alterum vero diſpoſitiones eorum, qui ad eum evocantur, eſſe debere ſingulares, pro ſtatus ejuſdem ſingularitate. Quæ duæ veritates his verbis continentur: *Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus.*

Hæ conſiderationes S. Philippum Nerium a puero permoverunt; & Deus admirabilibus virtutis progreſſibus cor ejuſdem ad ea munera obeunda diſpoſuit, quibus eam deſtinabat. Quantumvis felix a natura ſortitus fuiſſet ingenium ad omnigenas ſcientias perdiſcendas, ad eas tamen incumbere maluit, quæ pietatem ejus fovere poterant. Correxit ſancta Scripturarum ſimplicitate ſuperbiam, quam humanæ ſcientiæ gignunt, & ex ipſis ſtudiis ſuis hauſit argumenta orationum, & exercitationis ſuarum virtutum. In lectionum ſuarum intervallo viſus eſt, modo in ſacelli alicujus angulo lacrimis ſuffuſus ad J. C. pedes prima amoris ſui, atque pœnitentiæ ſpecimina proferre; modo ſub porticu S. Petri in pauperum corona fidei rudimenta, & elementa Religionis tradere, in caritatis uſum impendere ſuæ paupertatis reliquias, & fructus, quos per abſtinentiam neceſſitatibus ſuis ſubtrahebat. Modo videbatur in Xenodochiis, ubi laboribus, ſermonibuſque ægrotantibus ferebat opem, eoſque juvabat iis viribus, quas mortificationes, & jejunia illi reliquerant. Ita virtutum ſuarum exercitatione S. Philippus ſe ſe ad Sacerdotium præparabat; ſed multo magis profecit, cum relictis ſterilibus ſcientiæ theorematibus, decrevit ſe nihil amplius ſcire velle, quam J. C. crucifixum, neque alia pati potuit lumina quam quæ ex oratione ſua percipiebat. Intima hæc, quam cum Deo habebat, conſuetudo, illi Sanctuarium aperuit, eique ſan-

ſanctam præbuit facultatem offerendi Omnipotenti Deo victimam cæleſtem pro peccatis hominum.

Pro altera parte oſtendi poteſt, 1. Sacerdotium non eſſe titulum inanem ſine muneribus ſuis, atque laboribus; ſed immo eſſe miniſterium repletum plurimis officiis, quæ eſſentialia ſunt, ac non ita facile adimplenda. 2. S. Philippum tamquam dignum miniſtrum perfecte omnibus hiſce officiis fuiſſe perfunctum. Harum veritatum altera probatur verbis Apoſtoli ad quemdam Epiſcopum: *Tu vero vigila; in omnibus labora:* (2. *ad Timoth.*) Ita enim Paulus Timotheum hortatur, ut ſe ſe in vocatione per J. C. gratiam confirmet, & laboret veluti miles Filii Dei merens ſtipendia: *Opus fac Evangeliſtæ.* Modo Evangeliſtæ munera obiens, modo puræ fidei doctrinam conſervans, eamque cum timore & prudentia diſpenſans: *depoſitum cuſtodi.* Ad alteram vero probandam ſatis eſt S. Philippi vitam percurrere, ut innoteſcat illum fuiſſe operarium Apoſtolicum, ipſis Eccleſiæ primordiis digniſſimum; vocationi ſuæ intentum, quam operibus ſuis certam ſtudebat efficere. Oſtendendum eſt omnem vitæ ſuæ curſum ſeriem fuiſſe operum miſericordiæ & caritatis, nunquam laboribus feſſus; ac ratus ſe omnibus debitorem eſſe, ut omnes lucretur. Nonne hæc imago eſt Sacerdotis, qui ſemper ſecundum Evangelii legem ambulavit, Sacerdotis ſecundum cor Dei? *Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet,* 1. Reg. cap. 2. *Flechier.*

II. *Dedit illi Deus fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipſius.* Eccleſ. 45. Deſtinavit illum Deus Sacerdotii miniſterio; ille vero hoc titulo prorſus peculiarem laudem promeritus eſt. Si vocatio ad Sacerdotium electio eſt peculiaris, qua Deus perſonam aliquam ſecernit in miniſterium ſanctiſſimum, atque ampliſſimum, quod ſit in Eccleſia: ſi illi, quos ad ſe ipſum evocat, hac fruuntur felicitate, quod proprius ad ſupremum univerſorum Dominum accedunt, qui quotidie in eorum manibus renaſci dignatur; ſi ſunt illius portio, & hereditas, quemadmodum loquitur Deus in Scripturis; ſi eliguntur, ut ſupremam exerceant poteſtatem in corpus ejus naturale, & myſticum; ſi, ut aperiant Cælum fidelibus per facultatem quam Miniſtris ſuis tribuit, in eorum manu conſtituens claves illius; ſi denique, ut ſapienti diſpenſatione Sanguinem J. C. diſtribuant; dicite quæſo, quemnam eſſe oporteat illum, qui eligitur a Deo, ut in adeo ſublimi ſtatu ſanctificetur? qui in perſona ſua debet oſtendere, quænam eſſe debeat vita ibi ducenda; & quinam tandem, ut in glorioſo hoc munere excelleret, manu ſua inſtituit, & condidit illuſtrem Congregationem repletam viris ſcientia & virtute præditis, nec non imitatoribus zeli ſui, ut in opus adeo magnum adlaborent, ut pietatis ignem accendant, qui fere elanguerat, & ut exequantur conſilium, quod Deus ipſe illi inſpiraverat? Ex ampliſſimo eo fine, quem ſibi de magno hoc viro propoſuit Deus, cognoſcite quinam illius zelus eſſe debuerit, quæ Caritas, pietas, unio cum Deo, atque, ut uno me verbo expediam; quænam fuerit ſanctitas illius, qui ad munus adeo nobile obeundum electus eſt; & vos ipſi delineabitis imaginem glorioſi S. Philippi Nerii, quem vos facilius agnoſcetis ex conceptu, quem vobiſmetipſis aſtruetis viri perfecti, & in omni virtutum genere præſtantis, quam ego vobis exhibere valeam peculiares vitæ illius actiones vobis repræſentans, quarum maximam partem illius nobis humilitas abſtulit. Tamen quod hominum oculos fallere non potuit, ſatis erit, ut juſtum ejuſdem elogium exornem, ſi vobis oſtendam;

1. Quomodo digne omnia obierit munera ſtatus adeo ſancti, ac religioſi, characterem ſuum ſuſtinens iis virtutibus, quæ ejuſdem ſunt propriæ.

2. Quomodo de Deo, deque Eccleſia per quam bene meritus fuerit, ſuum zelum, ſuaſque curas impendens, ut alios ad perfectionem formaret. Horum alterum oſtendet perſonalem ſanctitatem, atque theſauros gratiarum, & meritorum, quæ poſſidebat, alterum vero viam, quam ingreſſus eſt, ut illa proximo communicaret, aperiens illis fontes, qui quocumque ſanctitatem debent effundere. Hæc erit Sermonis diviſio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

III. Conſiderari poteſt S. Philippus Nerius tamquam vir meriti præſtantiſſimi, atque omnino extraordinarii; & reſpici.

1. Tamquam vivens, qui converſatur cum mortuis; & qui exemplo ſuo nos docet, quomodo moriamur Mundo, voluptatibus, honoribus, Deo tantum, & pro Deo victuri.

2. Tanquam vir juſtus, qui converſatur cum peccatoribus, quos convertere adnititur, atque ad Dei famulatum traducere.

3. Tanquam mortalis homo, qui converſatur cum Angelis; qui illos imitari conatur, puritate vitæ incomparabili, caritate ardenti, intima adhæſione cum Deo, & iis omnibus, quæ pertinent ad cultum Dei, a quo nihil eum poteſt avertere. *Ex P. Senault Oratorii Presbytero.*

IV. *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſui placuit Deo, & inventus eſt juſtus.* S. Philippus Nerius in depravato eo ſæculo, qui vivebat, conſiderari poteſt tanquam Sacerdos Magnus electus a Deo ad iram ſuam mulcendam, & procurandam apud ipſum peccatorum reconciliationem. *Eccli.* 40.

1. Hic fuit homo juſtus, qui cum inter laicos adhuc verſaretur, ſeſe commendabilem præbuit omni virtutum genere; ita ut vita ejus, non ſecus ac S. Pauli, eſſet Odor vitæ. *Odor vitæ ſumus.*

2. Qui homines ad virtutem adduxit exemplis, præceptis, ac ferventibus adhortationibus ſuis, oſtendens illis vias ſalutis, quas ſequi debebant.

3. *Et in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* Oſtendi poteſt quomodo ille divinæ juſtitiæ flagella a peccatorum capite averterit pluribus modis. Sacrificiis ſuis; hoc enim præcipuum eſt Sacerdotis munus, ex D. Paulo, qui debet offerre *dona & ſacrificia pro peccatis populi Dei*: deinde precibus, & mortificationibus, tanquam publicus pœnitens, qui hoc pacto ſe facit victimam populi, pro quo offert ſe Deo, juſtitiam illius deliniturus.

Conſiderari poteſt S. Philippus Nerius, tamquam abſolutiſſimum Sacerdotalis Sanctitatis exemplum. Quapropter illi applicari poteſt glorioſum illud teſtimonium, quod Judæ Machabæo perhibent Biblia. Elegit Sacerdotes ſine macula voluntatem habentes in lege Dei; eiſque in vita ſua perfectum propoſuit autographum. V.

1. Sanctitatis, quam habere debebant, ut ſe ſe adeo ſublimi vocationi diſponerent.

1. Quæ in ſui muneris praxi ipſis erat exercenda.

3. Quam in altari quærere debent divina celebrantes Myſteria, & Salvatoris Corpus conſecrantes, qui fons eſt omnium gratiarum, & principium perfectionis Sanctorum Omnium. *P. Novet vita Jeſu in Sanctis ſuis.*

Conſiderari poteſt S. Philippus Nerius in variis vitæ ſuæ ſtatibus, tanquam perfectum exemplar earum qualitatum, quæ in iis requiruntur, qui ſublime hoc miniſterium profitentur. VI.

1. In vocatione ſua ad Sacerdotium, quod opus fuit Spiritus S.; qui hoc illi per animæ ſuæ directorem imperavit, ut per obedientiam ſtatum hunc ingrederetur exemplo Filii Dei, qui non ſibi ſumpſit glorioſam Pontificis dignitatem, ſed qui recepit illam ab eo, qui dixit eidem: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.*

2. Philippus Nerius ſe ad Sanctum hoc Miniſterium diſpoſuit per innocentiam vitæ, per omnium animi affectionum mortificationem, & caritatis ſuæ fervorem erga Deum, atque proximum.

3. Quoad vero functiones adeo Sancti Miniſterii, nemo unquam Miniſter majori cum fidelitate omnia obiit munera eidem inhærentia: nemo unquam Miniſter majori zelo officii ſui honorem ſuſtinuit, atque cultum, & venerationem extendit; quod non per ſe tantum, verum etiam per Congregationem omnem, quam inſtituit, ſanctitate, & zelo cumulatiſſimam obtinuit.

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Sermonum ſtructuras exornandas, & Auctores de hoc Argumento pertractantes.

FOntes puriores, Auctoreſque magis fideles, ex quibus rerum copia haurire liceat ad S. Philippi Nerii laudes celebrandas, indigitare non poſſumus, quam Acta Canonizationis ejus, & hiſtorias vitæ illius, quæ poſt ejuſdem obitum in lucem editæ ſunt. Has narrationes, ac vitas primos fontes appello; ii enim omnes qui locuti ſunt, & ſcripſerunt deinceps de actionibus, virtutibus, miraculis, & inæſtimabili fructu, quem attulit Eccleſiæ per Congregationem ab ipſo inſtitutam, inde hauſere, quidquid dictum ab illis fuit.

Qui vitam hujus Sancti ſcripſerunt.

Prima S. Philippi Nerii vita, quæ in lucem prodiit paullo poſt ejus obitum, ſcripta fuit ab uno ex Diſcipulis, & alumnis ejus *Antonio Gallonio*, qui palam teſtatur; ſe in narratione ab ipſo de Sancti Viri factis, & præſertim miraculis facta nihil attuliſſe quod ducentorum, & quinquaginta teſtium juramento probatum non fuerit, inter quos nominat ſex Cardinales; quod tamen de aliquibus peculiaribus factis intelligendum eſt, neque enim id affirmari poteſt de univerſis.

Vitam alteram ſcripſit *Jacobus Baccius* ejuſdem Congregationis Sacerdos. Vita hæc, quæ primum quidem Italice, mox vero Latine ab eodem Auctore conſcripta fuit, a priori non differt, niſi quod fuſior eſt, & continet Acta Canonizationis, ac eorum teſtimonia, qui magnum hunc Virum propius agnovere.

Qui de eodem locuti ſunt in operibus ſuis.

Tertia paullo ſuperioribus recentior, præter aliquot facta, & peculiares circumſtantias meliorem in ordinem redacta, & cultiori ſtylo conſcripta fuit a Hieronymo Bernabæo.

Cardinalis Baronius, qui præcipuum extitit Congregationis Oratorii ornamentum, & quo nemo melius eum cognovit, in Annotationibus ſuis in Romanum Martyrologium, verba facit de Sancto hoc Viro iis verbis, quæ ſatis aperiunt, quam ſublime ſentiret de ejuſdem meritis, & ſanctitate.

Spondanus, & Raynaldi in Annalibus ſuis cum laude meminerunt virtutum, ac meritorum Sancti hujus.

Illi omnes qui recens labores ſuos impenderunt in Vitas Sanctorum, veluti Auctores de Sanctorum actis pro Menſe Maji; Baillet, aliique nonnulli, Hermant, Auctor Hiſtoriæ de Ordinum Regularium inſtitutione.

P. Croiſet habet compendium vitæ, ac virtutum illius in Exercitiis Aſceticis pro ſingulis anni diebus: hoc ille non hiſtorico modo elucubratus eſt, ſed ea elegantia uſus eſt, quæ Concionatori non parum ſit profutura.

BIBLIOTECA CENTRAL